


600095651W





PETRI HOFMANNI PEERLKAMPII

OPUSCULA

ORATORIA ET POETICA

NUNC PRIMUM CONIUNCTIM EDIDIT

IO. THEOD. BERGMAN.



LUGDUNI BATAVORUM TYPIS E. I. BRILL.
MDCCCLXXIX.

Doctissimus et optimus senex I. Th. Bergman vixdum his Peerlkampii opusculis edendis ultimam manum imposuerat quum placida et quieta morte sopitus est. Ad summam senectutem progressus (nam quatuor et octoginta annos vixit) numquam ut Ennianus equus

senio confectu' quievit,

sed usque ad extremum spiritum provecta est viri industria semper agentis aliquid et molientis quod literis aut antiquis aut patriis prodesse posset. Ante omnia id sibi studio semper habuit ut summorum virorum et in literis principum, quibus Academia Lugduno-Batava gloriatur, memoriam et scripta celebraret illustraretque. Fecerat hoc olim in Hemsterhusio, Ruhnkenio, Wyttenbachio, nuper idem fecit in Valckenario, nunc denique in Peerlkampio.

Profecto dignissimus est qui sic toto pectore alienas virtutes et laudes vindicabat, ut ipsius memoria ab omnibus, qui literas amant, pie colatur et conservetur.

C. G. COBET.

L. S.

Peerlkampius, cuius hoc volumine tibi offeruntur Orationes et Carmina, quis qualisque vir fuerit, nemini nisi bonarum literarum imperito ac plane rudi ignotum esse potest; ita ut non necesse arbitremur multis de eo dicere. Natus Groningae seculo superiore ad finem vergente, perceptis in Gymnasio urbano linguarum Latinae et Graecae elementis, Academica institutione vix biennium usus, septimo decimo aetatis anno Scholae Harlemensis praeceptor, mox Doccumensis ac duodecimo anno post Harlemensis rector, anno huius seculi vigesimo secundo Borgeri in Academia Leidensi successor, per viginti septem annos professorio munere functus, reliquam vitae partem in otio privato Hilversumi transegit, ubi senio confectus fere octogenarius obiit anno 1865 mensis Martii die 28.

Ut erat homo antiqui moris, candidus ac simplex, brevem vitae ipse suae delineationem conscripsit in usum Rectoris Magnifici, cui lege academica ipsi parentandi officium impositum foret. Magistratu decedens Vir Cl. Van Boneval Faure, d. VIII Februarii 1866, inter anni sui fata academiae prospera et adversa retulit quae sequuntur:

»Non venit Peerlkampio mors inexspectata. Ante biennium senex eximius dedit ad Rectorem Magnif., veterem discipulum et fidelem amicum, breves, ut solebat, literulas et concisas in hanc sententiam: »Sentio mihi mortem instare, quam quieto et placido animo exspecto. Tuum erit de me rebusque meis pauca publice referre. Dabo quod referas." Et in schedula haec adscripserat, quae veluti ex ipsius ore audite:

»*Petrus Hofman Peerlkamp*, natus Groningae d. 2 Februarii 1786 patre *Rudolpho*, Praeceptore in Gymnasio urbano, matre *Henrica Veenhorst.*

»13 Augusti 1801 in Album Academiae relatus, mense Augusto 1803 Harlemum vocatus munus Praeceptoris annum gessit;

»ab anno 1804 munus Rectoris Doccumi in Frisiis;

»anno 1816 successit cl. *I. Ten Brink* Rectori Gymnasii Harlemensis.

»Inde anno 1822 Leidam in Facultatem Phil. Theor. et Litt. Hum. vocatus, morbo correptus, qui omnem animi intentionem vetabat, anno 1849 muneri renuntiare coactus est.

»Coelum salubre et ruris Hilversumensis amoenitas valetudinem restituit; adeo ut extremam vitae partem in redigendis annotationibus, per multas veterum scriptorum editiones sparsis, transigere potuerit. Obiit...."

In hoc verbo desierat et *Cobeto* scripsit: »hunc tibi ultimum diem meum explendum relinquo."

Explevit Cobeti in Rectoratu successor Faurius: d. 28 Martii 1865.

Quae in nuda ac simplici hac praecipuorum vitae momentorum notatione desiderantur, partim ipse tradidit Peerlkampius pluribus scriptorum locis, cum in Praéfatione ad Xenophontem Ephesium a se editum, tum in praemissa Horatii Carminum libris Epistola ad Virum amplissimum Collotum d'Escurium, tum denique in Satirarum eiusdem poetae recensione Abrahami Vriesii memoriae dicata; partim explevit postumi opusculi editor Vir Cl. I. C. G. Boot, cui Peerlkampius ultimam Propertii elegiam, critice tractatam et illustratam, typis exprimendam reliquerat, quique in Praefatione lectu digna de viri vita, moribus, scriptis narravit nonnulla, quae partim e libris editis, partim ex epistolis ineditis et familiarium sermonibus didicisse se ait; ampliorem de illis rebus narrationem cupide exspectans ab aliquo eorum, qui plures per annos familiarissime cum eo vixerint. — Neque negligenda sunt quae de Peerlkampio retulit Lucianus Muller in Annalibus Philologiae classicae (*Jahrbücher für classische Philologie*, 1863, N°. 22, p. 171—186) de congressu suo cum eo; ac brevi post viri obitum, in Diario Coloniensi (*Kölnische Zeitung*) d. 6 Aprilis a. 1865, N°. 95, p. 3, et pluribus deinde locis in Historia Philologiae Batavae (*Geschichte der klassischen Philologie in den Niederländen*) Lipsiae edita a. 1869.

Quid consilii in colligendis ac denuo edendis his opusculis secuti

simus, breviter exponendum videtur. Quo magis enim nostris temporibus in desuetudinem abire pergit Latinae linguae usus cum in docendo tum in scribendo, ita ut vel ipsi antiquarum literarum professores, neglecto maiorum more nil nisi Latine tradendi, scholis habendis praeferant patrium sermonem; eo magis cavendum existimavimus — dummodo saltem caveri adhuc queat — ne malum illud latius serperet. Quumque ad finem usque vitae Peerlkampius exemplo suo avitam Latine scribendi laudem strenue vindicasset, non tantum in soluta, verum etiam in ligata oratione; quae autem in utroque genere praestitisset, partim seorsum edita partim in aliis operibus sparsa, vix amplius paratu facilia essent, operae pretium nos facturos putavimus, si Orationes eius et Carmina singulari volumine coniunctim exhiberemus atque in exemplum bene eleganterque Latine scribendi hominibus nostris proponeremus. Suam enim sibi habebat Peerlkampius Latinitatem, puram illam et exquisitam, acute dictis ac sententiarum luminibus distinctam, ad exemplum optimorum scriptorum, non adeo Ciceronis, quam potius historicorum, Nepotis, Sallustii ac Taciti potissimum similiumque conformatam; quumque in poetarum Latinorum omnis aevi lectione ac studio vitae sibi veluti tabernaculum collocasset, ipse poeticae facultatis specimina prodidit non tam multa quidem, sed quae ad veterum praestantiam proxime accederent.

Quae temporis ordine primum locum occupat *Oratio de Xenophonte Ephesió*, eam habuit Peerlkampius, Rector Gymnasii Doccumensis, ediditque Harlemi, apud Adr. Loosjes a. 1806, accedente in eundem scriptorem Observationum criticarum specimine. Hanc, utpote leviorem opellam, ipse sine dubio nunquam recudendam curasset: attamen oblivioni tradere noluimus, suppresso tantum specimine critico, quod neque ad oratorium genus pertinebat, et post Ephesiacorum editionem a. 1818 novitatis gratiam amiserat.

Quanta cum laude suo tempore exceptum fuerit hoc iuvenile doctrinae et industriae specimen, quantamque exspectationem de scriptore suo excitaverit, videri potest in Annalibus literarum et artium Regni Hollandici, publica auctoritate in lucem emissis [1]).

1) *Jaarboeken der Wetenschappen en Kunsten in het Koningrijk Holland, Eerste deel over* 1806. *Amst. en Den Haag*, 1809. bladz. 197—207.

Quae sequitur Oratio *de vita Eliae Annaei filii Borgeri*, quo die Peerlkampio dicendi vices erant, habita in consessu Classis tertiae Instituti quondam Regii Amstelodamensis, atque edita in Commentationum Latinarum Vol. III, eam affirmare non veremur, etiam post funebrem Borgeri laudationem a Palmio habitam [1]), aliasque in memoriam eius prolatas scriptiones, haud pauca complecti scitu digna et Borgero honorifica.

Tertia est Oratio auspicandae professioni historiarum et literarum humaniorum in Academia Leidensi. Quemadmodum autem Borgerus, cuius in locum succedebat, *de Historiae doctore Providentiae divinae administro* dixerat, similiter Peerlkampius *de praecipua lege Providentiae divinae ab historico doctore observanda* sibi dicendum existimavit. Edita est in Annalibus Academiae anni 1822--1823.

Sequitur Oratio *auspicandis lectionibus*, mense Octobri 1831, habita ad cives academicos, inprimis eos, qui superiore anno pro patriae defensione arma ceperant, quum e castris reduces ad Musarum cultum redirent. Separatim prodiit eo ipso anno apud H. W. Hazenberg iuniorem. Huc pertinent quae de Civium Academiae Leidensis expeditionibus militaribus tradita sunt cum ab aliis [2]), tum ab ipso Peerlkampio in Annotatione ad Orationem suam Rectoralem a. 1839 habitam, de qua mox dicemus. Vid. ibi ed. pr. p. 143—157, ed. alt. p. 88—97.

Solitus quotannis auspicandis lectionibus brevi allocutione auditores compellare et ad studia sedulo persequenda hortari, a. 1834 dixit *de Josepho Scaligero*, eandemque orationem deinde, ut videtur,

---

1) *De nagedachtenis van Elias Annes Borger, plegtig gevierd, op den* 20 *December* 1820, *in naam der Leydsche Afdeeling van de Hollandsche Maatschappij van Fraaije Kunsten en Wetenschappen, door* J. H. VAN DER PALM *en* H. TOLLENS Cz. *Te Leyden, bij D. du Mortier en Zoon*, 1821. 8°. Palmii Orationem excepit Tollensii Carmen funebre.

2) *M. Siegenbeek, Vergelijkende beschouwing van 't geen door de kweekelingen der Leidsche Hoogeschool, in de jaren* 1672, 1815 *en* 1830 *tot* 1831, *tot verdediging van het Vaderland verrigt is. Leid.* 1831.

J. Roemer, Gedenkschrift van den Uittogt — en van den Veldtogt der H. H. Studenten van de Hoogeschool te Leiden, enz. in 1830 *en* 1831. *Leid.* 1830, 31. 2 st.

Institutii regii Amstelodamensis sociis obtulit, quamquam eius in historia Classis tertiae nulla ne levissima quidem vestigia reperiri potuerunt. Hanc, nondum editam, nobis suppeditavit Societatis Leidensis literis patriis excolendis bibliotheca, eiusque edendi veniam a viris penes quos est administratio facile impetravimus. Dolendum vero, tripartitae divisionis, quam sibi proposuerat Peerlkampius, nonnisi primam partem de Scaligeri Leidam adventu et vita Leidensi absolutam esse, at vel sic tamen nec lectu iniucundam nec luce publica indignam, et brevi ipsius auctoris annotatione illustratam.

Magistratu Academico intra annum 1838 ad sequentis initium functus Peerlkampius, munere decedens die natali VIII Februarii 1839, ad dicendum sibi elegit argumentum vere patrium et cum Academiae historia arcte coniunctum. Dixit enim *de perpetua, quae Academiae Leidensi cum Gente Arausiaca* [1]) *intercessit, necessitudine, spectata praecipue in studiis principum.* Hanc ipse Orationem, saepe et a multis rogatus, accedente annotatione historica, primum edidit Leidae, apud H. W. Hazenberg et socios, 1840, forma octava, repetitam anno sequenti in Annalium Academicorum a. 1838—1839 volumine, Hagae Comitum ex Typographia regia. Quemadmodum autem in Elogii Hemsterhusiani editione altera haud pauca olim innovaverat Ruhnkenius, ita quoque in repetita hac editione haud paucis in locis sua aut correxit aut mutavit Peerlkampius. Nos, ut

---

1) Pro *Arausiaca* praestat *Arausionensi*, a proprio tertiae declinationis nomine *Arausio*, in genit. *Arausionis*, unde *civitas* ac *ditio* sive *principatus*, itemque *princeps Arausionensis*. Ita Hugo Grotius in Annalium et Historiarum Belgicarum libris, et ipse Peerlkampius in Oratione auspicandis lectionibus a. 1831, horum Opusc. pag. 67, 72, 82, 84, 87, ibidemque pag. 76, *Arausionistae* (*les Orangistes*), sed in usu formae sibi non constitit. Praeterquam pag. 109, 115, 120, ubi exstat *Arausione*, ut in hac Oratione, ita in libello de vita Schimmelpennincki ubique utitur formis *Arausia* et *Arausiacus*, v. c. *princeps Arausiae* (pag. 3), *stirps* vel *domus Arausiaca* (pag. 4, 29, 44) *factio Arausiaca* et *Antiarausiaca* (pag. 72), cet. Minus etiam probandum *Auriacus*, quemadmodum Meursius libellum suum de Guilielmo I inscripsit *Gulielmus Auriacus*. Quodsi constaret, pro *Arausio* in usu quoque fuisse *Arausia*, inde recte ducerentur genitivus *Arausiae* et adiectiva *Arausiacus* et *Arausiensis*. Cf. Cellarii Geogr. Antiq. T. I. pag. 194.

quondam in Opusculis Ruhnkenianis fecimus, ita nunc in hac quoque iterata recensione repraesentanda prioris varietatem contextui subiecimus. Discant inde Latinitatis studiosi iuvenes, quantopere prioribus curis praestent posteriores. — Ex Annotatione vero, ne moles libri praeter modum excresceret, ea tantum excerpenda censuimus, quae ad dictorum intelligentiam proxime pertinere, nec sine ambiguitatis aut obscuritatis periculo desiderari posse videbantur.

Eiusdem anni mense Septembri, quo die Vexillum militum academicorum, qui anno 1830 et seq. castra obierant, in Senaculo reponendum erat, Rectoris Magnifici loco Prorector Peerlkampius publicam orationem habuit, Annalibus Academicis insertam, cuius quantum novimus exemplaria seorsum edita non exstant.

Pergimus ad *poetica.*

Peerlkampius an unquam *Carmina iuvenilia* ediderit, ut alicubi [1]) relatum legimus, nobis quidem non constat. Nec praeter Carmina hoc volumine comprehensa quidquam ab eo publice editum novimus. In his sunt:

Carmina quinque pertinentia ad calamitatem Leidensem XII Ianuarii 1807, a Peerlkampio, adhuc Gymnasii Doccumensis Rectore, Groningae et Amstelodami apud Wouters et Numan edita. De qua calamitate, carmine a Bilderdykio celebrata et narratione vernacula a Siegenbeekio memoriae prodita [2]), operae pretium est legere quae duobus tribusve locis Latine retulit Wyttenbachius, cum data opera in epistola ad Sanctocrucium, primum edita a Mahnio in Vita Wyttenbachii pag. 184—188, tum brevius in epistolis ad Schutzium et Wolfium, Epist. Fascic. II. p. 32 sq. 37 sq.

Pro vitioso *crepere* in Carm. IV vs. 9 dedimus *coepere,* ac pro *Numinis viam*, ibid. vs. 38, *N. iram*, utrumque sensu ita postulante.

Paulo post rerum patriarum conversionem a dominatione Francica ad libertatem sub finem anni 1813, prodierunt sub nomine *Aristogitonis Frisii Carmina quinque dicata honori ac meritis* (sive potius, per ironiam, *infamiae ac facinoribus) Napoleontis Magni*, quae anno

1) *De Nederlandsche Spectator*, 15 April 1865, N°. 14, bladz. 116 en vv.
2) *Leiden's Ramp, door Mr.* W. BILDERDIJK *en* M. SIEGENBEEK, *met afb. Amsterdam, J. Allart en J. Ruis*, 1808.

sequenti pro suis agnovit Peerlkampius suoque nomine edidit Groningae apud M. J. van Bolhuis, 1814.

Exemplar, quo typographus ad describendum usus est, fuit olim peritissimi poeseos Latinae iudicis, viri doctissimi Henrici van Royen, qui sua manu titulo adscripsit *aurea sane* et hic illic pauca in margine annotavit.

Quod sequitur carmen, *Guilielmo Belgurum Regi* inscriptum, praemittitur Const. Hugenii de vita propria sermonum inter liberos libris, a Peerlkampio primum editis, cum Loosjesii versione vernacula, Harlemi a. 1817. Ac, ne de Latine reddito utroque Borgeri carmine, alterius *ad Filium* initio, altero *ad Rhenum*, eius Laudationi a. 1821 adiectis, dicamus, alterum brevius carmen, *G. C. B. Suringario* gratulandi causa dicatum, accedit huius Dissertationi inaugurali medicae de Nisu formativo, in Academia Lugduno-Batava pro gradu Doctoratus publice defensae a. 1824.

Carmen *in natalem quinquagesimum et ducentesimum Academiae Lugduno-Batavae* una cum Sandifortii Oratione prodiit in Actis Saecularibus, Lugduni Batavorum apud Luchtmansios editis a. 1825. In patriam linguam metrice convertit J. C. van Varelen, Harlemi ex libraria Loosjes, eodem anno.

Orta sub finem mensis Augusti anno 1830 seditione Belgica, eamque deinceps secutis varii generis inimicitiis ac turbis, post memorabile Speykii facinus mense Februario 1831, quum ageretur de ponenda in eius memoriam turri navigantibus admonendis destinata, prodierunt Amstelodami ex officina Beyerinck annis 1831 et 1832 duo deinceps *Carmina elegiaca dicata Collegio Spei Nauticae in stipem Turri Speykanae.* Quae carmina, quamquam suppresso poetae nomine, neminem alium quam Peerlkampium auctorem habere una et consentiens vox eorum omnium, penes quos ea in re fas et ius loquendi erat, pronunciavit, nec ille ipse, quem vulgo auctorem haberi constaret, negavit. Ista igitur duo Carmina nequaquam dubitavimus Peerlkampii nomini adscribere et inter eius specimina poetica referre. Exemplari suo hic illic idem, quem supra nominavimus, vir doctiss. Van Royen pauca adscripsit.

Edita priore horum Carminum parte, *Auctorem anonymum* carmine Latino celebravit *Henr. Weytingh*, Rector Gymnasii Campensis, *Campis ad Isalam*, *d.* 4 *Iulii* 1831, edito in Nuntio Literario (*Algem. Konst-*

en Letterbode) eiusdem anni, vol. II. pag. 68 sq. Brevi post prodierunt eiusdem Weytinghii *Elegiae duae ad V. Cl. P. H. Peerlkamp de tumultu Belgico*, et *in victoriam de Belgis reportatam. Amstelod. apud H. Weytingh*, 1831, 16 pag. 8°. Carminum Peerlkampii laudes certatim praedicarunt Ephemerides literariae.

Iuveni praestantissimo *Matthiae de Vries*, Hooftii fabulam scenicam, ex Plauti Aulularia sub nomine *Warenar* in patrium sermonem conversam, denuo edenti et commentanti, a. 1843, itidem hoc iuvenilis doctrinae et industriae specimen amico carmine gratulatus est Peerlkampius.

Postremum locum tenet ineditum Senis Peerlkampii ad Senem *Abrahamum de Vries* Carmen, missum Hilversumo anno 1857, *Senex* inscriptum, nobiscum ab huius filio Matthia, Peerlkampii quondam discipulo, nunc in Academia Leidensi professore, benevole communicatum.

IO. THEOD. BERGMAN.

INDEX OPUSCULORUM.

ORATIONES.

CARMINA.

PEERLKAMPII MEMORIAE

SACRUM.

ORATIONES.

ORATIO

DE

XENOPHONTE EPHESIO,

HABITA AD CELEBRANDAM PUBLICAM IUVENTUTIS SCHOLASTICAE IN GYMNASIO DOCCUMENSI PROMOTIONEM A. MDCCCVI.

Est quaedam in nobis, ut ita dicam, cupiditas, quam ab ipsa Natura hausimus et arripuimus, qua cupiditate trahimur ad existimationem puellarum, quas vel insigni forma vel egregiis animi ornamentis excellere videmus. Hac existimatione primum quidem omnes, ut debemus, prosequimur; deinde vero ex ingenti multitudine ita rem contrahimus et adducimus in angustum, ut omnem existimationem, et, quae hinc oriuntur, amorem et caritatem, in unam conferamus, eandemque reliquae vitae nostrae sociam eligamus. Habent haec tempora magnas saepe contentiones, molestias, vicissitudines; haec iuvenum affectus commovent et exercent, haec spem, metum, exspectationem; haec iram odium et aemulationem excitant; haec denique eos casus afferunt, qui in scribendo suppeditant varietatem, plenam voluptatis cuiusdam, qua legentes mire afficimur.

Talia igitur scripta cum ingenti aviditate quasi devorarentur, plurimos singulae regiones extulerunt auctores, qui ad haec fingenda animum appulerunt.

Ac Graeci quidem, qui humanitate et doctrina omnes olim populos praestabant, quamvis libertate amissa plurimum etiam pristinae illius et verae eruditionis amisissent, hoc tamen scribendi genus, novum tunc temporis et inusitatum, arripuerunt, et maiore, quam alii, studio excoluerunt. Ex hoc numero fuere cum plurimi alii, quorum labores temporum iniuria perierunt, tum, qui etiamnum exstant, Heliodorus, Achilles Tatius, Longus, et Xenophon Ephesius: suis quique meritis spectandi illi quidem, tamen Xenophon Ephesius habet brevitatem quandam, suavitatem et elegantiam, quibus se ipse prae aliis commendare mihi videtur.

Quare, quum hodiernus dies dicendi partes mihi iniunxerit, de hoc scriptore nonnulla in medium proferre, nec a muneris mei ratione, nec a sensu vestro alienum duxi. Vos quidem, Auditores, haec ita accipiatis quaeso rogoque, ut ea non tam rerum gravitate et novitate, quam meo Graecas literas iuvandi studio metiamini.

Xenophontem igitur Ephesium plurimi eruditorum ad saeculum a C. N. secundum aut tertium referunt, argumentis potissimum iis nixi, quae ex ipsius stilo et rebus quas narrat, duxerunt. His tamen, ut ea nec omnino in dubium vocanda, sic neque fidem habendam censeo. Dicendi genus, ducit quidem illud colorem ab eo tempore, quo, qui hoc usus est, vixit; quis vero ignorat quanta sit vis studii et imitationis in eo mutando, praecipue si id ipsum egerint auctores, ut laterent?

Quod quidem Xenophontem fecisse semper arbitratus sum.

Quod . . . . . Xenophontem fecisse semper arbitratus sum.) Scilicet, assumto Xenophontis nomine, suum ipsius nomen suppressisse. Quae hac de re in annot. ad h. l. disputavit Peerlkampius, pleraque repetiit in Praefat. ad Ephesiacorum libros a. 1818 Harlemi a se editos, pag. LXIV.

Nec profecto melius unquam libro suo consuluisset, nisi assumto illius nomine, qui sermonis elegantia et suavitate unus omnium maxime elucet. — Pleraque vero a rebus derivata argumenta, aeque mihi videntur esse levia. Quid enim? Scriptorem Eroticum ista fide egisse, quam in historia, luce temporum, requirimus? Imo hic illi bene cum poeta convenit, qui alia fingendi, alia ornandi, ius sibi et arbitrium sumsit. Equidem diu multumque de aetate illius mecum cogitavi, sed aliorum opiniones adhuc melius potui convellere, quam tales ipse concipere, quae se aliqua veri specie commendarent. Illud autem mihi persuasi, omnibus eum, qui supersunt, Eroticis esse antiquiorem. Idque ut facerem ipsi illi Erotici me perduxerunt, quos non obscure deprehendere mihi videbar, pluribus locis Xenophontem ante oculos habuisse, illiusque bene ac eleganter dictis certatim opera sua exornasse, rerum quoque ipsarum narrationem ita saepe imitatos, ut alias integras, alias paulum immutatas in usus suos converterint. Quod cuivis, diligenti horum instituta comparatione, planum erit et apertum.

Aliquot saecula Xenophon iacuit in tenebris, atque eruditis nomine tantum, ex Suida, et deinde ex Angelo Politiano, qui legerat, atque inde partem aliquam Latinam fecerat, cognitus fuit.

Latebat unicus Codex MS. in bibliotheca monachorum Cassinensium, Florentiae. — Precibus et votis multorum, qui Graecas literas amabant, iisque bene cupiebant, diu fuit expetitus; tandem Antonius Cochius eum in lucem homi-

---

Omnibus eum ... Eroticorum antiquiorem.) Revocata hac de Xenophontis Ephesii aetate sententia, eum longe post Heliodori tempora, incertum tamen quo seculo, reiecit postea Peerlkampius in Praefat. ad ipsius Ephesiacorum libros, pag. LXII sqq.

numque adspectum protulit, Latinoque sermone reddidit. Quod huius diligentiae, quae desiderata saepe est, in codice describendo defuit, id deinde supplerunt viri praestantissimi Dorvillius et Locella, qui multa loca ex eodem codice partim emendarunt, partim supplerunt. Simulatque autem Xenophon prodiisset, omnes, qui de literis poterant iudicare, eosque praecipue cives nostros, ita cepit, ut et non sine voluptate legerent, et indigne ferrent, scriptorem tam elegantem et venustum, tot maculis esse deformatum, quibus rerum verborumque perspicuitati multum splendoris detrahebatur. Itaque alii aliis novae editionis erant auctores, qui id si per negotia praestare non poterant, aut in literis Graecis vitae tabernaculum non posuerant. Alii in eo emendando et illustrando operam et industriam collocabant. His omnibus palmam praeripuit Tiberius ille Hemsterhusius, cuius singulare ac prope divinum ingenium in hoc etiam eluxit. Hic plurimas maculas formoso corpori ita eluit, ut omnes mirarentur, qui tandem fieri possit, ut homo, qui Graecus non esset natus, sermone tamen Graeco se totum adeo imbuerit.

Ista autem admiratio pene cessit in stuporem, quum diligentius Codex, quem diximus, comparatus plurimas illius emendationes auctoritate sua confirmavit. — O beatum Graecum scriptorem, qui talem nactus fueris interpretem! — In partem huius laudis venit Abreschii diligentia et Dorvillii. Bene etiam de Xenophonte meritus est Treslingius. In hoc quidem assentientem non habebo Locellam; sed dicam, quod res est. Treslingius specimen illud observationum iuvenis conscripsit. Quis autem tam iniquus est rerum arbiter, ut alios alius aetatis esse fructus nolit vi-

Tiberius ille Hemsterhusius.) Laudavit D. Ruhnkenius in Elogio Hemsterhusii, ed. alt. a. 1789, p. 15. Opusc. a. 1823, T. I. p. 247.

dere? — Et tamen multa ille dedit bona, multa elegantia. Quod Locella ubique fere aut negat aut dissimulat. Quid tandem animi creditis illi fore, si quis Graece, qualis Hemsterhusius, scientissimus, annotationes illius acerrime castigaret. A tali tamen plus quam a se exspectari ipse profitetur. Nonne igitur haec, quam petit, venia ab ipso alii erat tribuenda? — His, quae mihi nulla invidia, ab hac enim me omnes abhorrere novistis, sed amor veritatis, et, ut hoc utar, indignatio quaedam civem meum a Germano sic haberi, extorsit; sed his, Locellae meritis in Xenophontem nihil detractum velim.

Imo hunc illi tantum debere quantum est maximum, semper iudicavi. Praeterquam enim quod novam fere et accuratam Latinam interpretationem adiecit, multa melius distinxit, multa ingeniose et acute tentavit, multa sic illustravit, ut magnam omnes de varia sua et accurata eruditione concipere iubeat opinionem. Locellam secutus est Mitscherlichius, qui Xenophontem editioni Bipontinae inserendum curavit, hoc fere solum laudandus, quod magnam Graecorum exemplorum paucitatem numero auxerit. — Fuere praeter hos quos nominavi alii eruditi, qui in Xenophonte hunc illumve locum, ut fit, diversis locis et temporibus emendarunt. Qui autem integrum aliquem laborem, ut nova exoriretur editio, aggressus est, quantum quidem ego novi, postea inventus est nemo. Quod tamen iis qui literas Graecas amant, fore pergratum, et alios saepe audivi dicentes, et ipse animadverti. — Sed mirantes vos videre videor, me, qui doctissimorum virorum ingenium in emaculanda Ephesii fabula laudibus extulerim, illud oratione commendare, quod re ipsa nonnullis videri possit inutile. Illud ipsum, Auditores, saepe mihi in mentem venit, itaque quod respondeam habeo.

Fuit nimirum ista veterum scriptorum calamitas, ut in avaras hominum ineptorum manus inciderint, qui describendis MSS. magnam saepe pecuniam facientes, ut maiorem facerent, uni celeritati erant intenti, nulla caeterum diligentia nec studio usi. Adhuc tamen eorum fortunas laudaremus, si eo ista barbaries constitisset. Nam, ut errores ab imprudentia omittam, multa, ut sapere sibi videbantur, delerunt, adiecerunt, mutarunt. Unde factum est ut alius alio sit magis corruptus et inquinatus.

Hos, qui in arte critica studium ponunt et industriam, aut MSS. auxilio, aut solis ingenii coniecturis correxerunt. Quis vero ex ingenti multitudine unum mihi det auctorem, quem omnino recte emendatum dicat? — Imo altius hoc barbariae colore infecti sunt, quam ut a magno satis eruditorum numero elui prorsus possint. — His, si ea ad Xenophontem referamus, illud etiam accedit, quod unus tantum repertus sit codex, ex quo fabula descripta est. Quod si hoc plures exstarent, variae sine dubio essent lectiones, unde saepe aliquid, quod placeat, efficias. Quid? quod Xenophon pro tempore, quo publici iuris fuit, satis quidem multos, pro suavitate autem et elegantia, paucos nactus fuerit interpretes.

His, quamquam strenue res gesta sit, omnia tamen non potuerunt perfici, sed nonnihil alienae industriae relictum est. Quod nisi istae essent causae, quae denuo edendum Xenophontem suaderent, vel haec sufficere possit videri, quod insignis exemplorum est paucitas et caritas. Quotus enim quisque eorum invenitur, qui literas Graecas animi causa interdum recolendas sibi sumunt, qui ita sunt felices, ut Xenophontem habeant? — Saepe etiam illud apud animum cogitavi, Xenophontem patriae nostrae lumen debere et splendorem, ex quo alii suum accendentes, civibus eum

suis legendum dederunt. — Nos, qui in hoc saltem a maioribus non degeneravimus, nos haec lentos posse adspicere, nec arbitrari, longius exteros nobis eminere, quam generosi animi ferre aut possint aut debeant?

Equidem, Auditores, quum haec mecum saepe perpendissem, istum in me suscipere laborem non defugi. Ac ne quis me iuvenilis cuiusdam levitatis aut temeritatis iure accuset, omnem meam suscepti operis rationem exponam.

Vos me de me ipso dicentem solita vestra humanitate patiamini. Biennio amplius est, postquam diu laudibus Xenophontis aures mihi personuerant, quum me ad illius lectionem contulerim. Continuo magnam inde percepi voluptatem, et hoc magis dolebam scriptorem venustum tam male acceptum ad nos pervenisse. Utebar editione Londinensi, nec de aliorum laboribus quidquam audieram, nedum videram. Quare in eum auctorem incidisse mihi videbar, qui studium meum Graecarum literarum unus omnium optime, hac praesertim aetate, exercere posset.

Ipsa enim facilitas me incitabat, simplicitas perducebat, iucunda varietas tenebat. Itaque quantum per otium licebat, nullo fere die eum de manibus deposui. Xenophon me delectabat domi, Xenophon non impediebat foris, Xenophon non semel mecum pernoctabatur. Illud nimirum agebam, ut quam fieri posset maximam cum eo contraherem familiaritatem. Sic enim a viris doctissimis acceperam, ista veterum monumenta, quae illustranda sibi quis sumat, penitus ei esse pernoscenda, et in succum quasi et sanguinem convertenda. — Quod quum perfecisse mihi viderer, cum alios nonnullos, quos ab aetate illius non ita remotos, tum inprimis reliquos Eroticos non sine diligentia aliqua evolvi, et Xenophontem emendare et illustrare aggressus sum. — Interim, ut fit, Hemsterhusium

aliosque, quos praedixi, in eodem opere versatos cognovi. Horum videndorum quamvis incredibili flagrarem desiderio, tamdiu tamen huic non satisfeci, quoad integrum aliquid elaborassem.

Mox singulos nactus, magna spe, exspectatione et metu evolvo. — Dii boni! — Plurima, quae meae cuidam industriae tribuebam, ab illis iam occupata comperi. Qua ex re sive laetitia, sive tristitia, sive utraque totus perfundebar. Quid enim non laetarer, nec iudicium meum, cui diffidere semper soleo, laudarem, quod in easdem saepissime cum viris eruditissimis incideram cogitationes? — Contra habebam, quod dolerem; maxima enim laboris pars interierat; ut adeo vim aliquam mihi ipse inferre debuerim, ne animum demitterem.

Tandem idem studium, si quod antea fuit, in legendo et illustrando Xenophonte adhibui; quo si olim huic me aliquantum profuisse periti rerum arbitri iudicent, maximos laboris mei me percepisse fructus arbitrabor, atque alacrior fiam, ad omne, quod supersit vitae tempus, in his literarum studiis consumendum.

Sed longius me dicendo progressum animadverto, quam volui, aut fortasse etiam debui. Quis autem est Xenophon iste, dicat quis, aut quae tanta illius merita, quibus se cum aliis, tum tibi adeo commendavit, ut novam etiam editionem moliaris? Haec quidem, Auditores, tot ac tanta sunt, ut omnium eum Eroticorum Graecorum, qui supersunt, magnis licet laudum testimoniis hominum eruditissimorum sint celebrati, appellare praestantissimum non verear. Quod si illum horum laboribus invicem comparandis ostendere vellem, dies me citius quam oratio deficeret, et ad minora interdum delabi nonnullis videri possem. Quare de solo Xenophonte afferre quaedam satis habebo, atque illud

efficere conabor, ut vos dignum eum iudicetis, qui denuo edatur; ut sic frequentius in eorum manibus versari possit, qui aut a severioribus studiis aut ab aliis negotiis honestum otium persequuntur.

Reliquit quinque de amoribus Anthiae et Habrocomis libros. Altera adeo erat formosa, ut non Ephesias tantum puellas, (Ephesum autem uterque solum habebat natale) longe post se intervallo relinqueret, verum etiam omnibus istius regionis praestaret, imo ad Deam proxime accederet. Alter, ut iuvenis, pari erat forma et honore. Digni igitur qui matrimonio inter se coniungerentur. Quo inito, sorte moniti, ut sibi videbantur, peregre aliquamdiu iter fecerunt. Hic cum multis iisque gravissimis calamitatibus iis fuit luctandum, nec induci tamen potuerunt, ut fidem de servando amore et castitate datam, fallerent. Tandem post infinitos errores et praesentia vitae pericula, non sine numine aliquo sibi obviam facti, anteactarum miseriarum memoriam praesentis fortunae cogitatione et fructu delerunt, seque Ephesum receperunt.

In his enarrandis auctor nativa quadam simplicitate nec adscita gravitate usus est. Nullae in eo sunt argutiae, nulla acumina ista rhetorica, nihil denique istius orationis, in qua rerum tumor et vanissimus verborum strepitus regnant, qua serioris aetatis scriptores tantopere delectabantur. Deprehendas praeterea hic cum Hemsterhusio moris antiqui vestigia quaedam non facile obvia. Laudandum et illud recte censet Locella, quod interdum brevitate narrationis facti celeritatem quasi adumbrare studet. Lingua, qua utitur, proba est, sed, ut ita dicam, Erotica. Observasse enim mihi videor istos scriptores propriam quandam scribendi rationem habere; quae recedit quidem aliquantum ab aurea aetatis gravitate, elegans tamen est, simplex et facilis,

omninoque cognitu digna illis, qui Graecis literis student. Iis vero, qui honestae remissionis loco Graeca interdum legunt, facile dicendi genus non minus placiturum arbitror. — Sed sit sane Xenophon iste suavis et elegans scriptor, argumentum certe, ut omnino fictum, sic tenui et exile his praesertim temporibus videtur, nec adeo dignum in quo legendo alicuius industria versetur. — An vero et illi laus tribui potest servatae verecundiae, nec ea usus est interdum licentia, a qua recti ingenii viros, ne dicam iuvenes, alienos esse oportet? — Equidem, Auditores, quod ad argumentum attinet, hanc fabulam magis ex se ipsa, atque adeo ex istis temporibus, quam ex aliarum, earumque recentiorum contentione cognoscendam intelligendamque arbitror. Quod si enim cum praestantissimis huius aetatis monumentis compararetur, multis eum nominibus inferiorem agnoscerem. Iniuste tamen sic cum Graeco agi, quis neget?

De veritate dicere nec possum, nec quidquam refert. Quis hanc in nostris eiusmodi libellis quaesivit? Planum enim cuivis est et apertum, a scriptoribus utilitatem legentium et voluptatem censeri, veritatis caeterum securis. Quamquam quae fabula tam incredibilis (modo ne sit referta miraculis, quae rerum naturae repugnant) excogitata est, quae in hominum vita, plena illa variorum casuum et vicissitudinum, acta non sit, aut agi non possit? Hoc itaque Xenophonti detrahi inique non fero; adsit enim, nec ne, parum addit commendationis. Igitur ne illud quod non habeat, quaeramus, quae autem habeat, negligamus. — Est vero haec quaedam illius, ut iam diximus, suavitas et simplicitas, qua quis non magis delectari solet, quam inani verborum strepitu, quem sublimitatem nonnulli vocant? — Quodsi etiam gratum est et iucundum, artis alicuius initia,

incrementa et perfectionem cognoscere, unde melius fabularum Romanensium, ut hoc utar, pueritiam quam ab ipso Xenophonte noscas, video neminem. — Ista quidem simplicitas adeo omnibus placuit, ut longe plurimi suo eum quique sermone reddiderint, alii etiam imitando expresserint. Itali sua eum civitate donarunt; Angli suum fecerunt, Galli sibi vindicarunt, Germani denique eodem illum honore dignum iudicarunt. Deinde et Abbas ille Barthelemius, cuius profecto ingenium omnes, ut par est, magni facimus, Graecas has fabulas, et inprimis Xenophonteam in Charita et Polydoro suo secutus est.

De obscoenitate aut lascivia, ea in Xenophonte aut nulla est aut exigua, neque in probi hominis animo plura relinquet vestigia quam cymba in fluvio.

Vetus ista est et multorum sermonibus trita querela, plurimos scriptores ea in dicendo usos licentia, a qua nos quam longissime remotos esse decet et alienos. — Non is ego sum, qui, quam ipsa nobis Natura imposuit verecundiam, in oratione negligendam esse censeo. Imo illud Stoicis potius aut Cynicis relinquo, ut nihil obscoenum nihil turpe dictu arbitrentur, quod facere sit honestum. Amo et semper amabo istam Platonis verecundiam, a qua nec Xenophon nec plures alii recessisse mihi videntur; quorum iniqui nimis sunt iudices, qui et mores, et, quod iis formatur, liberum aut severum scribendi genus, ad suum referunt; neque cogitant, in sermone etiam alia aliis honesta duci et turpia, atque haec publica tantum opinione, non communibus certisque legibus iudicari.

Charita et Polydoro) *Les Amours de Charite et de Polydore, Roman traduit du Grec*, 1760. 12o. Ersch, la France Litéraire, T. I. in voce *Barthélemy*. Interpretationem vernaculam, Amstelodami anno 1782 editam, laudavit Peerlkampius in annot.

Haec habui, Auditores, quae de Xenophonte Ephesio potissimum dicerem; digno certe qui honestae remissionis loco legatur, idque ut facilius fiat, denuo edatur.

Hoc cives olim nostri, ingenio et doctrina excellentes, fuere delectati. Hoc etiamnum plurimos delectari scio. Qui si sua, quibus Xenophontem emendarunt aut illustrarunt, mecum communicare vellent, quantum illi lumen accederet, quantus mihi animus et fiducia ad ea, quae habeo affecta, perficienda.

Sed et temporis ratio, et vos, Iuvenes optimi, flagitatis, ut ad ea transeamus, quae nunc huius diei sunt propria. Xenophon Ephesius, ut audistis, ea scripsit lingua, quae quotidie me docentem, vos discentes tenet occupatos; idque omnium cum voluptate, vestra etiam cum utilitate. Quantopere vos huius linguae suavitas afficiat, ex discendi vestra aviditate laborisque assiduitate perspexi. Brevi, Iuvenes optimi et diligentissimi, id quod vobis saepe iam dixi, sentietis, nisi iam sentire coepistis, Graecum sermonem esse facillimum, et plures ab hoc discendo aliorum clamoribus, quam usu et exercitatione deterreri. Quare sic pergite. Et, si vos novi, pergetis. Utilitas quidem, ne de voluptate dicam, quam hinc olim percipietis, est talis, ut, cuicunque vos vitae generi dedatis, harum literarum scientia vobis sit commodo, honori, et ornamento.

ORATIO

DE VITA

ELIAE ANNEI F. BORGERI,

HABITA IN TERTIA CLASSE INSTITUTI BELGARUM REGII,
A. D. XXVI MARTII A. MDCCCXXI.

Quot ac quantae Eliae Annei F. Borgeri virtutes fuerint, nisi aliunde constaret, Ornatissimi Auditores, testaretur publicus ille luctus, quo mortuum homines vulgo prosecuti sunt. Ut omittam necessarios illius et amicos et collegas, quorum ego moerorem melius sentio, quam verbis declarare possum, quod Hollandiae oppidum, qui frequentior pagus, quae domus civis paulo humanioris laudibus et desiderio Borgeri non personuit? Sacri oratores tristitiam continere suam non potuerunt, quin auditores tam magno quam tristi documento de inconstantia rerum humanarum admonerent. Poetae luctum per funebria carmina effuderunt. Nec, quod in doloris significatione saepe fieri videmus, quo primum acerbior sit, eo fere esse breviorem, idem hic usu venit. Nonus et sexagesimus a funere Borgeri erat dies, quo Palmius Lugduni eum laudavit. Rem, quo modo gesta sit, audivi, quoniam ipsi adesse non vacabat. Loca deficiebant audientes. Quaerebam, quali fuissent animo. Viris, viris, lacrymae oboriebantur, et,

quos lacrymari pudebat, vultu satis indicabant, quantopere moverentur. Quamvis partem huius moestitiae summa oratoris eloquentia sibi vindicaret, maiorem tamen Borgeri recordatio repetebat, illius, quem omnis patria suum filium agnoscere inciperet.

In tam gravi et constanti omnium omni aetate atque ordine hominum perturbatione, ego querelas iam saepe meas cum amicorum querelis miscui, nec ut publice et in hoc loco tacerem, committere sive potui, sive etiam debui. Quid enim? Arctior nobis intercessit necessitudo, quam multis fortasse videbatur. Cogito patriam? Sumus populares, ut erant Regnerus Praedinius et Gemma Docomius. Nam regio Groningana olim communi Frisiae nomine continebatur. Aetatem? Vix biennio minor sum. Doctorum hominum collegia? Sumus sodales, huius etiam Instituti. Amicitiam? Hanc re et animis, minus usu et verbis, metiebamur. Pietatem? Borgerus diligentiam meam, addita nominis sui auctoritate, publice sibi esse laudandam putavit. Mores? Ille erat simplex, nec Groningani sumus admodum callidi. Igitur quae de Vita Borgeri dicturus sum, haec nostro more dicturus sum, non ornato, non diu ante meditato, sed quem ipse animi impetus ferat.

Non timeo ne talis oratio, in hac causa, minus apta temporis hominumque gravitati habeatur, et iuvenilis potius, quam virilis appelletur. Dico enim iuvenis de iuvene, optimo iuventutis exemplo, quae fortunam ipsa suam artifex fingere cupiat. Vos, quid facturi sitis, nescio; equidem binis, quos habeo, filiis, simul atque e pueris excesserint, hoc exemplum quotidie monstrabo. Atque utinam Dii immortales hoc mihi beneficium tribuant, ut mille aculeos in animis illorum infigam, qui semper pungant et excitent, nec stare eos nec quiescere sinant, quoad Frisium

in hoc gloriae et doctrinae curriculo sint secuti, et vero etiam assecuti. Si dicant: »Atqui, optime pater, hoc nullo modo a nobis fieri poterit." Respondebo: »Nihil minus fit, o mihi carissimi filii, quam quod non tentatur. Si quis Borgero ante quinque et viginti annos praedixisset: »Tu non unius disciplinae professor Academiam Leidensem »ornabis. Tu, quoties in certamen eruditionis descendes, »victoriam reportabis." Nonne illum huic vati responsurum fuisse putetis: »Abi — ne me lude;" aut etiam simpliciter: »Mentiris." Et tamen ita accidit.

Nihil adeo est, quod homo non possit, modo adsit voluntas, nec impediat natura. Et sane multae difficultates Borgero fuerunt superandae. Dixit aliquis veterum comicorum: Dî nos mortales quasi pilas habent. Ita vero saepe videtur, non est. Nam rerum exitus nos Deorum sapientiam etiam in hoc ludo docet, modo agnoscere velimus. At abiectus erat Borgerus in ignobilem patriae angulum. Fecit nobilem. At genere natus erat tantum non obscuro. Princeps illustravit. At minus laeto pueritiae usus est initio. Optimâ ergo animi palaestrâ, in qua mature exercitatus vires auxit et corroboravit. Sic in rerum natura arborem saepe a ventis quassari ac sede prope sua evelli videmus. Fruitur arbor beneficio ventorum, fibrasque et radices altius altiusque terrae infigit. Dî Borgero multa dederunt adversa, ut eum experirentur, utque ostenderent mortalibus, veram laudem omnibus patere, eamque non votis nec socordia, sed diligentia et labore, non genere aut ambitu, sed virtute et bene meritis comparari.

Atque hoc loco praedicare mihi libet principum in civitate nostra virorum integritatem sapientiamque, qui, a

---

Aliquis veterum comicorum) Plautus Capt. Prol. v. 22.

maiorum institutis non desciscentes, divinam rationem omni ope a se adiuvandam censeant. Quale parentum nostrorum fuerit consilium non verba, sed facta, indicant. Hic ego intueor pictam Michaëlis Adriani F. Ruiteri imaginem. Quam quo magis intueor, hoc magis illam videre videor spirare, leni risu gravitatem vultus temperare, labia diducere, et haec nobis acclamare: Vos Belgae honorem virtuti habete, in quocunque cive eluceat! Hac arte crevistis! — Ita vero facimus, Michaël heros, et porro faciemus. Ecce manu mea sigillum teneo, quod tu manu tua millies tenuisti. Hoc tu literas tuas, fidas fidi animi ministras, consignabas. Utinam eodem hoc sigillo hanc sententiam tuam nepotum nostrorum animis, tamquam viridi cerae, ita imprimere possem, ut notas nec blanda prensatio subducat, nec vis potentior deleat!

Bergero sua etiam fortuna non offecit. Quotus vestrum quisque invenitur, nisi qui hinc animi aut negotiorum causa per Frisiam in agrum Groninganum iter fecerit, quam pauci sunt, inquam, qui vel fando unquam audiverint, pagum esse in Frisia, nomine Ioureae? Ego iam biennium fere in Frisia vixeram, antequam scirem. Eram rector Scholae Doccumensis. Venit ad me anno huius saeculi quinto amicus quidam meus, ut se ferebat, qui de literis antiquis multa non nova, et de recentioribus non pauca, sed antiqua, referre solebat. Sero erat dicere, me ipsi occupatum. Et nondum a fenestra clamare audebam, me domi non esse. Quid facere poteram? Ridebam malis alienis. Et, num quid novi, inquam, ex Africa? Nihil quidem ex Africa, inquit, sed multum ex hac nova tua patria, et rure. Narro tibi. Factum est in Iourea prodigium. — Quid, inquam, lacte pluit, an vitulus humano capite natus est? Quin tu te ocyus ad Pontificem Maximum

confers, qui omen curet! — Et sperabam hominem meum abiturum. Frustra. Iocaris, inquit. Sed assem para. Operae pretium est audire. — Hic verbis mihi perpetuatis narrat: »Fuisse in Iourea mercatorem, Borgerum, reliquisse praeter alios liberos etiam filium puerum, quidquid vellet, posse ediscere, huic ludum esse res difficillimas intelligere, a quodam sacrorum librorum interprete didicisse literas Graecas Latinasque, Latino sermone uti facilius, quam Frisiorum urbano; venisse Leidam; ductum ad Wyttenbachium, interrogatum a Wyttenbachio, quid legisset; Graecos Romanosque scriptores, respondisse; Wyttenbachium fecisse periculum; fuisse laetatum, miratum, stupuisse." — Haec amicus ille meus, uno spiritu, ut interdum vererer, ne anima ipsi intercluderetur. Et tamen nunquam magis vera narravit, quod brevi post a certis auctoribus comperi, et, quo nulla certior auctoritas, ipse Borgerus continuo confirmavit.

Veteres in fabulis suis multa sapientissime admonuerunt. In his ingeniosa est illa de pullo et margarita. Sed vix a lacrymis tempero, quum multorum mihi puerorum sors in mentem venit, loco indigno, ut margarita iacuit, iacentium. Nam semper parentes reperti sunt, quibus statim cibus multo potior esset, et qui pretium thesauri sui non scirent. Bonum tamen factum, ita comparatam esse gemmarum naturam, ut suo se splendore prodentes, tandem sive ipsis parentibus, nisi plane pulli sint, sive aliis in oculos incurrant. Felices pueros, qui tempestive servantur, et poliuntur, neque doleo magis quam miror, hoc saepe sive sero sive nunquam fieri.

Etenim ingenium res vel minima declarat, neque opus

De pullo et margarita) Phaedr. Fab. III. 12.

est Ulyxe aliquo, qui latentem in virgineo vestitu Achillem se armis ostensis agnovisse gloriabatur: tamquam ille non prius iam se virum esse declarasset! In prodigiis veterum Romanorum relatum legimus caput pueris arsisse, futurae magnitudinis indicium. Lumen ingenii non minus clare enitescit. Ut qui diuturna siti laborarunt, omnem liquorem, quem primum reperiant, avide combibunt; et flamma, quamcunque possit materiam, ambitu suo corripit et amplectitur, ita teneri animi, aurae divinioris participes, acumen suum ad obvia quaeque applicant. Protagoras iuvenis victum quaerebat portandis oneribus. Democritus Protagoram gravissimae scientiae quasi natum cognovit, viso lignorum fasce, ab hoc mira arte composito, quo facilius in capite gestaret. Ego si rex aut regi a consiliis essem, non vererer legem ferre, qua tales pueri publico sumtu alerentur, si parentes suppeditare non possent, omnesque et singuli, qui reperissent, nomina deferre iuberentur. Prodirent sine dubio oratores, qui legem dissuaderent, in hac nempe privata civium munificentia et liberalitate minus utilem et necessariam. Quidquid illi dicerent, summa vi contenderem eos nihil dicere, istum honorem ad communem omnium patriam pertinere, et, his temporibus, ne urbium quidem magistratibus esse relinquendum. Olim quidem nonnullos hoc fecisse legimus. Ioanni Caligatori, ut hoc utar, nato a. C. MCCCXX obtigerant pauperes parentes, animus vero discendi mire cupidus et felix. Cognita fortunae iniuria magistratus Lovanienses (erat enim puer Lovaniensis) erudiendum curaverunt, et ingenium, quod in occulto latuisset, laudabili consilio in lucem vocarunt.

Borgerus puerulus iam distincte legebat, scribebat eleganter, in qua arte ludimagister, quo utebatur, tantum

profecerat, ut, quum scriberet, pingere videretur. Memoriam habebat tenacissimam. Recitabat nomina iudicum regumque Iudaeorum a primo ad ultimum, et inverso ordine, faciebat versiculos supra captum aetatis, mensas et cathedras verba facturus conscendebat, atque ita in aliis. Ludo relicto, missus est in officinam argentificis. Sed ibi nihil minus quam manu erat promptus, et nunc limam, nunc follem, nunc malleolos, nunc carbonum odorem, totam denique artem culpabat. Discere Latinas Graecasque literas volebat et concionator Euangelicus fieri. Didicit a viro venerando Slichero, qui in pago Longeverano domi suae convictores aliquot habebat, eumque in finem didicit, quoad ipsum positi laboris non poeniteret, praeceptor summopere admiraretur.

Positis praeclare fundamentis, traditus in disciplinam clarissimorum doctorum, tantas superstruxit doctrinae copias, quantas ille debuit, hoc est, maximas; vitamque suam ita instituit, quasi dictum Musonii in animo haberet inscriptum: »Si quid per laborem recte feceris, labor recedit, bene factum manet. Si quid per voluptatem nequiter feceris, voluptas abit, nequiter factum manet."

Borgerus capaci et vasto ingenio plurimas quidem artes comprehendebat, et in nulla hospes esse, sed in Theologia quasi habitare constituerat. Creatus est Theologiae doctor anno huius saeculi septimo, edita interpretatione epistolae Pauli ad Galatas, notata illa, quocunque librum evolvas, vestigiis industriae et iudicii vere singularis.

Fuere nonnulli, qui nimiam in eo luxuriem deprehendere sibi viderentur et culparent. Alios audivi, eosque Borgeri populares, qui ostentationem iuvenilis sapientiae appellarent. Cognoscite mihi homines.

Musonii) Reliquiae, ed. J. Venhuizen Peerlkamp, p. 274.

Cives isti erant tres minutae animae. Nam dum ipsi quotidie, quibus modo possent, equorum suorum velocitatem, aureis manubriis apta flagella, rhedarum pulcritudinem, hortorum amoenitatem, plenas vini apothecas, et elegantem innumerabilium librorum speciem ostenderent, quae invidia, nolle, alterum ostendere, quae didicisset? Imo ostendat quod quisque possit ornamentum, ut Cornelia Gracchos suos, quae non haberet purpuram nec uniones.

Qui luxuriem in primo Borgeri scripto deprehendere sibi visi sunt, nihil aliud, quam quod omnes, deprehenderunt. A culpando vellem abstinuissent. Sunt haec germina et gemmae, quas ingenii fertilitas undique protrudit. Huic fertilitati in illo aetatis vigore non indulgeri non potest. Sin, metus est, ne rumparis. Flammam prius ore teneas. Hoc qui adolescenti non ignoscant, ignoscant autem? imo, qui non probent, illos numquam amabili insania laborasse suspicor.

Qui melius de ingeniis iudicare poterant, his blanda spes laetissimorum fructuum arridebat, si Borgerus luxuriem usu et exercitatione depasceret, ut depavit, eorumque consilio et auctoritate brevi post factum est, ut, nomine Lectoris, ipsius Academiae Leidensis fieret accessio.

Ab eo inde tempore, non

Crevit occulto velut arbor aevo
Fama Marcelli,

sed tanta celeritate, ut gloria sequeretur gloriam, honos gradus esset honoris, dignitas instrumentum esset dignitatis. Atque hoc ita gratum erat Diis immortalibus, qui praeclarum hominem, tamquam aureum cometae splendorem, terris tantum vellent ostendere. Neque tamen laus Borgeri maiora capiebat incrementa, quam doctrina, a qua laus ipsius ita pendebat, ut

Crevit occulto) Horat. Carm. I. 12, v 45 sq.

umbra a corpore, et cunctos honores ea lege consecutus est, ut prius mereretur. Hinc fuit in omnium existimatione tam sincera quam grandi, praecipue Frisiorum, ut facile est intellectu.

Habebam Doccumi discipulum, annos fere quindecim natum, diligentia, modestia, iudicio tanto, ut nihil fere supra. Omnes omnia de illo sperabant; pater ita amabat, ut talem et unicum filium amare solent patres. Moritur filius. Ego cum necessariis et amicis in funere aderam, a funere in coena, ut mos est in ista regione. Pater flebat, plorabat, eiulabat interdum, ut puerum diceres, nisi ipse esses pater. Nos, quae solando essent, omnia conquirere, afferre, repetere. Ille vix aures praebere. Interim ancilla uni convivarum nuntiat, Borgerum Leida venisse, adesse ad ianuam, ipsumque velle conventum. Audito Borgeri nomine, quae vultuum fieret mutatio, dicere vix possum. Alter adspiciebat alterum, inde patrem, taciti rogantes, ut Borgerum invitaret. Iam invitaverat. Intrat. Omnes consurgunt, quasi praesens aliquis Deus conspiceretur. Et vero Borgerus a Deo aliquo ad domum funestam missus esse videbatur. Primo, ut fit, silentium, neque tamen diuturnum. Novus hospes rupit. Singula verba cupidis auribus excepta sunt, etiam a patre. Omnem orationem, tamquam oraculum venerabantur. Et erat oratio gravis, sed quae sensim de gravitate tantum remitteret, quantum res ferret. Iam unus et alter verba sex septem in medium proferebat, sed neminem libentius audiebant, quam unum Borgerum. Vix ille vocem miserat, et,

Conticuere omnes intentique ora tenebant.

Finita coena Borgerus rogatur, cogitur, facere preces: Honorem illic non exiguum! Discedimus. Pater mire confirmatus, ut non eundem esse crederes, Borgerum ita dimisit,

ut utraque manu manum dextram complexus, in posterum diem ad coenam promittere iuberet.

Tantum auctoritatis dabat illi gloria, qui tum Lector erat sacrae Hermeneutices, et vix annos quinque et viginti habebat! Vos reputate, quam populares sui eum in oculis tulerint, quum Professor erat Theologiae et identidem aureum nummum vincebat. Adventus in Frisiam ovationem quandam referebat. Nautae et aurigae vulgo narrabant, Heri, nudius tertius, Borgerum vexi. — Digitis praetereuntem monstrabant, certatim ad hospitium invitabant, honorem istum sibi invicem invidebant, ingeniique et amoris erga literas habebatur commendatio, si quis gloriari posset, Borgerum ad se mensem dimidiatum devertisse.

Novi hominem, multos equos habentem, in quibus unum tanta celeritate, ut nihil, credo, ad hunc equum fuerit nobilissimus ille Magni Alexandri Bucephalus. Is equus quater Olympia Frisica vicerat, nec, ut Ennianus ille

senio confectu

quiescebat. Sedebamus aliquando amici et familiares in circulo, praesente etiam Borgero, variis de rebus disserentes, et tandem aliquando in equos sermo incidit, quorum mentionem non unus iam saepe lacessiverat. Hic omnes dominum Bucephali laudibus onerare: Nae tu vir es: Tibi nemo par est. Stultum qui tecum stadium ingrediatur! — Ad haec dominus, subirata et paene stentorea voce: Ego, ita me Dî perdant, nescio, quae vos intemperies agitet. Stulti estis, qui mihi tribuatis virtutem, equo meo propriam. Et vero ipse omnium sim stultissimus, si id superbirem. Ecce Elias noster, suo ipse ingenio, suo labore, sua doctrina reportavit nummos quatuor aureos. — Ingenti

---

Ennianus ille) Apud Ciceronem de Senect. 5.

omnium plausu excepta est viri oratio: unus tamen »Hem, inquit, latuisti me philosophus. Sed, memini, puer scholas Latinas frequentasti". — Et usurpaverat ille sententiam philosophi, Epicteti nempe, sed imprudens, nam Graece ne legere quidem intelligebat.

Tam carum et honoratum ubique erat Borgeri nomen, et si quando die sacro verba pro concione esset facturus, tum apertius etiam declarabant, quanti illum facerent. Si dicam templa in oppidis non sedentium minus, quam stantium frequentia compleri, loca multo ante grandi pecunia conduci, gradus suggestus teneri, dicam id, quod Borgerus cum paucis oratoribus habebat commune. Sed primo in loco et intra cancellos conspiciebatur non unus, caeteroquin adeo

parcus Deorum cultor et infrequens,

ut templum reperire non melius posset, quam novi senatores olim, beneficio Caesaris creati, curiam Romanam. Haec in oppidis.

Ruri hoc fine non constitit ardor, sed progrediebatur ulterius. Rustici, humanitatis non expertes, iter horarum faciebant, locoque exclusi, in limine et area fani auscultabant, gradusque et scalas, tanquam in obsidione, fenestris admovebant, beati. si vocis modo sonum audirent.

Possum plura afferre testimonia inusitatae existimationis, qua Borgerum Frisii sui habebant. Sed cui bono afferrem? Aut quis dubitet, qui recenti memoria repetat, vitam illius cum publicam, tum privatam in his etiam terris nulla non honoris significatione fuisse illustratam?

Admodum adolescentem Curatores Academiae Leidensis sibi vindicarunt, timentes credo, ne alii peterent, eoque consilio, ut olim, simul ac res ferret, et Borgerus spem de se conceptam impleret, omnino suum facerent. Lecto-

---

Parcus Deorum cultor) Horat. Carm. I. 34.

ris ergo nomen ipsi dederunt, tertium locum a loco iusti Professoris. In hoc munere sensum et verba sacrorum librorum interpretabatur. Vicit omnium opinionem, quamvis non exiguam, temporisque disciplinam solita ipsi celeritate praevertit. Deerat igitur non voluntas sed occasio Borgeri ampliore dignitate ornandi. Ista occasio difficilior etiam facta est, quo tempore, Hollandiâ Galliae provinciâ, Academia Leidensis partem efficiebat universae cuiusdam Academiae, quae magnitudine sua brevi laborabat.

Honos Borgero continuatus est, easdemque lectiones habebat, mutato Lectoris nomine in Adiunctum Facultati Theologicae. Maiores nostri appellabant Professorem Extraordinarium, alterum a summo locum. Gallicae leges Adiuncti nomen paulo aliter interpretabantur. Borgerus rem omnem inique tulit, et iniuria se affici querebatur. Hoc qui ab eo factum nollent, vereor, ne, si ille fuissent, idem et impatientius aliquanto fecissent. Dictu facile est: Quid nomen ad rem? Et praeclare, ut omnia, Dominicus Baudius, ante ducentos et sedecim admodum annos in eadem Academia Professor:

Nil curat alta mente praeditus Cato
Qua sede sedeat, quam thori partem premat.
Non est honestus, aut suo censu potens,
Honestiorem quem locus scamni facit.

Sed videte mihi eundem Baudium, hic alium in versibus, in vita alium. Nam quid ipse non tentavit, quem lapidem non movit, quibus precibus Oldenbarneveldium, Mylium, Grotium non fatigavit, ut ipsum a Professoribus Extraordinariis segregarent? Borgerus igitur conscriptus Professor, biennio post quam patria nostra ius suum rece-

---

Nil curat cet) Baudius Gnom. Iamb. I. 19. Poem. p. 306.

perat, in ordinem maiorum gentium escendit, Professorque Theologiam docuit.

Interim Wyttenbachio requies et otium conceditur, quaerebaturque tanto viro in docenda praecipue historia successor. Ratio docendae in Academiis historiae ab usitata vulgo ratione deflexerat. Auctores et actores huius mutationis hoc factum non in eam partem accipi volebant, quasi superiores historici officio non satisfecissent suo, aut minus ab eruditione essent parati. Imo in coelum, ut par erat, laudibus ferebant Wesselingium, Offerhausium, Perizonium, Burmannos, Rhoerium, aliosqae etiam recentis memoriae Professores. Sed mutato in omni fere terrarum orbe civitatum ingenio, doctrinam historicam ad hoc magis accommodandam censebant, et querebantur, eam, ut corpus animi, ita Graecarum Latinarumque literarum haberi appendicem. Ideo arbitrabantur esse e republica, ut ipsa historia familiam quasi duceret suam, non serva esset alienae. Idem iam in aliis Europae civitatibus ingenio et doctrina florentes viri optaverant, et, monstrata emendandae disciplinae via, commendaverant, ut Ioannes Augustus Ernestius, quem honoris causa appello, in Elogio Christiani Ioecheri. Et vero Wyttenbachius scholas suas iam ista norma direxerat, et pristinae formae, nudae illi et gracili et exili, ornatum, nitorem et corpus conciliaverat. Sed Wyttenbachius in eo erat, ut cursum illustris et laboriosae vitae conficeret, similis splendori solis occidentis. Solem hic orientem referebant nonnulli in patria nostra egregii cives, qui, ut Heerenius in Germania, propriam historiae scholam constituerunt in Belgio. Metus erat, credo, ut, quamvis invitati, Leidam venirent. Provincia etiam Borgero offertur, si mutare vellet Theologiam. Non dubitanter accipit, et continuo admirabili quadam sapientia administrat.

Maiorem Borgero in omni vita gloriam contigisse arbitror nullam. Honorificum est et singulare, si merearis, in toga Leidensi prodire — grave et praeclarum sacras literas explicare — immensum et prope divinum Wyttenbachio succedere, ut Borgerus successit, iuvenem seni, theologum literato. Tanta in eo spes reponebatur, ut, cum vulgo plures requiri putabamus, qui famam doctrinae Wyttenbachianae tuerentur, ille solus a Curatoribus Academiae par tanto oneri duceretur. Neque eos fefellit sua Borgeri opinio, non magis quam Senatum Romanum Cnei Pompeii, quem L. Philippus se sua sententia non pro consule, sed pro consulibus ad bellum formidolosissimum mittere dixit.

Non est, quod miremur, talem ac tantum Borgerum sodalem Instituti Regii omnium suffragiis fuisse designatum, idque Regem fecisse ratum, et alias artium doctrinarumque tuendarum societates, Harlemensem, Leidensem, Ultraiectinam et Zelandicam eum in collegium cooptasse.

Habetis imaginem vitae Borgeri publicae, tam felicis tamque honoratae, ut votis etiam cupidissimi hominis respondere potuisset. Et hanc sua sibi industria doctrinaque ipse finxit.

De industria dicere, et narrare, quomodo alius sol eum operi suo intentum saepe oppresserit, nihil attinet. Hanc fuisse maiorem, quam valetudo ferret, nonnulli opinantur. Sed hi aut valetudinem Borgeri sua metiuntur, aut ego fallor. Sic enim arbitror, laborem, quem quis discendo iucunde et facile impendat, varietate recreatum, et nonnunquam intermissum, non laborem esse, sed voluptatem. Ut ut est, Borgeri industria certe fuit maxima, et cognoscitur ex doctrina quasi arbor ex fructibus.

Sed doctrinam Borgeri quum contemplor, in tanta varietate accuratam, magnitudine insignem, pro aetate in-

credibilem, oculos et mentem meam vertigo occupat, quasi ex altissima et praerupta rupe in imam vallem despiciam. Ex hac vertigine si paulum ad me rediero, ut de laudanda hominis doctrina cogitare possim, verba invenio nulla, quibus, quid velim et debeam, indicem.

Veram mehercle rerum vocabulis vim ademit nimia morum nostrorum suavitas et elegantia, cui interdum optimi quique, etiam inviti, parent. Mediocriter aliquis in literarum studiis est exercitatus? Doctissimus vocatur. Specimina huius exercitationis ad hominum notitiam profert? Urbi cuiusque et toti patriae de illo gratulantur. Felicem adolescentem, qui has voces intelligat, nec se eo iam pervenisse putet, unde toto coelo abest!

Quid mihi nunc ista consuetudo reliquit, quo Borgerum in suo quoque literarum genere extollam? Nimis intelligo quam pauperes nos fecerit tam effusa laudum largitio, adeo ut silentium fere in gloriam vertat. Timanthes, quum in sacrificio Iphigeniae cunctos pinxisset moestos, omnem tristitiae imaginem consumserat. Patris igitur voltum, ut narrat Plinius, quem digne ostendere non posset, velavit. Satius fortasse foret, me quoque in hac parte meae orationis Timanthem imitari, et hoc aliis relinquere, ut declarent, quam graviter et concinne Borgerus personam Theologi, Philosophi, Historici et Literati sustinuerit.

At si nec velo imaginem tegere fas est, nec pulcritudinem assequi valeam, tertium tamen mihi relictum video, ut nempe, qua possim, adumbrem. Hic mihi agmen mirantium vel potius indignantium occurrere video: Te, hominem, vitae tabernaculum in literis ponentem, loqui de Theologia, de Philosophia aliisque disciplinis! Te iudicium

---

Ut narrat Plinius) Hist. Nat. XXXV. 10.

ultra fines provinciae tuae proferre! Non patimur, non ferimus. Porro Quirites! vis haec est!

Aequum, ut opinor, postulant gravissimi patres. Crassus quidem apud Ciceronem putavit se iudicare posse de histrione, ipsum non histrionem, sed alieni artificii non stultum existimatorem. Multi etiam his temporibus sententiam de literis ferunt, quas honestae tantum remissionis aut necessitatis causa attingant. Nolo tamen pugnare his armis, et ea lege pareo, ut mihi ignoscant, quod de primo Borgeri scripto theologo iam pronuntiaverim. Audiamus iudicem, quem nemo recusabit, Palmium, demusque antiquam hanc Theologiae praerogativam, ut ab ea incipiamus, sicuti veteres poetae ab Iove.

Atque ita redimus ad *Epistolam Pauli ad Galatas*, quam Borgerus ea ratione tractavit, quae maximo Theologo sacrarumque literarum interpreti, provectae aetatis, fuisset laudi. Quam acute iudicavit! Iam optimas quasvis aliorum interpretationes adhibuit, suas ipsius, ipsa veritate se probantes, adiecit, et multas et insignes difficultates, quibus iste libellus impeditur, felicissime superavit. Borgerus adeo hac aetate iam ostendit, maiorem se quam Doctoris honorem meruisse, et ad spem togatae dignitatis adspirare.

Iam *modestum ac prudentem sacrarum literarum interpretem* ita informavit, ut facile appareret, ipsum officia novi muneris sui, Lectoris Hermeneutices, ut plane intelligere, ita iis implendis omnino esse parem.

Disputatio de *origine et nativa indole Religionis Christianae* probavit Theologum dogmaticum excellentem, qui clarissimo ingenii lumine, puritatem Euangelii illustrat, non

---

Disputatio de origine cet.) Societatis Teyler. Theolog. Vol. XXVI, a. 1815

extinguit. Hic Borgerus non minore peritia, quam virtute rem Christianam defendit, timendus sapientiae insanienti hostis, quamvis haec melioribus armis utatur, quam barbarie scholastica et imperiosis sententiis. Hic labyrinthum Graeci Mysticismi pervagatus, latebras Iudaeae superstitionis perscrutatus, duplicem stultitiam, ut Hercules olim Cerberum ex orco, in lucem extraxit, Novique Foederis religionem calumnia societatis cum hoc monstro liberavit.

De *constanti et aequabili Iesu Christi indole, doctrina ac docendi ratione* ita commentatus est, ut, quot paginae appareant, tot documenta subtilitatis in iudicando, et non fucatae venustatis in scribendo, appareant. Omissa iuvenili ubertate, fructus dedit simul lectionis et meditationis. Ipsa materiae inventio in solum Borgerum cadere poterat. Hanc et novo, et ipsi proprio more pertractavit. Adde longe ingeniosissimas cogitationes, non a subita et felici coniectura, sed a longa accurataque inquisitione profectas, sive ad hanc exactas. Hunc libellum, felicissima ingenii doctrinaeque coniunctione commendatum, sufficere dixeris, qui gloriam Borgero, Novi Testamenti interpreti, conciliet aeternam. Magnum profecto opus et honorificum, imprimis si animadvertamus, quantum studii et laboris cum superioris, tum nostri temporis eruditissimi homines, ad contextam orationem, ad dicendi genus, ad ipsam denique Novi Testamenti sententiam explanandam contulerint. Horum opiniones per multa librorum millia dispersae sunt, ut tantum doctrinae ambitum, quantus nunc est, vix complecti, nedum proferre possis.

Quam apte et graviter Philosophiam ad Historiae narra-

De constanti cet.) Hagae Comitum, 1816. In patrium sermonem transtulit vir consultiss. J. de Kruyff. Ibid. 1821.

tionem conferret, docent binae illius disputationes, haec de *Historia Pragmatica*, illa de *fictis in Historia Orationibus*, aureo praemio a Societate Harlemensi decoratae. Cuius disciplinae quum Professor crearetur, idque munus auspicaretur oratione de *Historiae doctore*, *Providentiae divinae administro*, nemini dubium fecit, quin se Scaligeris Vossiisque dignum fuisset praestiturus.

Quis vero vel suspicari potuisset, eundem hominem se aliquando abdidisse in contemplationes maxime abstrusas Philosophiae et Metaphysicae, eoque eventu abdidisse, ut hinc etiam victor laurea ornatus prodierit? Borgero puero et adolescente Kantins omnem fere Germaniam ad suam disciplinam converterat, nactus in patria etiam nostra multos imitatores, admiratoresque cupidissimos. Captus est etiam Borgerus. Quidquid ipsi, rem accuratius consideranti, probatum, verum, et acute explicatum videbatur, hoc seriore tempore, nec Wyttenbachii quidem auctoritate, omisit. Sed quum deinceps primum Fichtius, mox Schellingius, barbaris formulis nova deliria superstruerent; receptasque de Deo, de homine, de mundo non nostro, opiniones convellerent, et nobis, qua erant liberalitate, verba rerum gravissimarum relinquerent, res ipsas adimerent; Borgerus gloriosae novitatis studium, et tacitam in religionem et divina praecepta coniurationem prorsus improbavit.

Disputatio Borgeri de *Mysticismo*, a societate Teyleriana auro ornata, sed quovis auro carior, monumentum est sagacissimi ingenii, subtilissimique: nec scias utrum hic magis admirere, veritatis studium, an vim argumentandi. Naturam recentis e Germania philosophiae suis vestigiis

---

Binae illius disputationes) Societati Doctrinarum Harlemensi oblatae a. 1815 et 1818. Illa de *Hist. pragmat.* una cum Orat. aditiali, recusa Hagae Com. 1818. Altera Harlemi seorsum in lucem data a. 1820.

indagatam, per omnes oras, regiones, ambages, persequitur, alteram doctrinam ex altera deducit; qua sibi invicem conveniant, qua differant, accurate distinguit, loca obscura luce perfundit, et pro summa sua eloquentia de rebus horridis polite disserit. Nunquam Belgae obliviscantur, qualem ac quantum philosophum habuerint Borgerum.

Haec fere ex ista Palmianae orationis parte excerpsi, quam partem hoc consilio adhuc unam legi. Reliquae enim lectionis voluptatem mihi interdicere debui, quoad hanc scriptionem meam confecissem. Idque hoc feci iniquius, qui omnia tanti ingenii monumenta unice admirari soleam. Parendum scilicet erat legi operis a me suscepti. Si qui sint, qui suspicentur, me contentioni eloquentiae studere, hi non meminerunt, quae iam initio professus sum, et me et Palmium ignorant, illum, quem quoties audimus, non facundissimum hominem, sed ipsam facundiam nos audire profitemur. Nec plus ille debet actioni, quam habet omnium unus suavissimam, quam ipsi rerum verborumque compositioni. Equidem orationem illius legens, paulo minus adficior, quam quum habentem intueor. Atque ad hanc Palmii excellentiam proxime, in suo tamen genere, accessit Borgerus, actione inferior, nactus in ea naturam minus fautricem, ut multi eum iucundius legerent quam audirent.

Est profecto una in omnibus humaniorum gentium linguis eloquentia, sed huius ipsius tot fere sunt genera, quot homines, qui quidem in aliquo numero fuerunt. Nostrorum hominum facultas duabus vulgo linguis cernitur, Belgica et Latina. Utraque facultas in Borgero etiam nescio quomodo magis una atque eadem eluxit. Nam Belgica illius oratio tantum ad Latinam erat conformata, quantum natura utriusque pateretur. Atque hoc ita non

evenire non potuit. Ut enim, qui quotidie delicatissimis Arabum suffimentis circumfunduntur, haec spirant, ubicunque sint et quoquo vadant, ita Borgerus nullum diem sine lecto Cicerone praetermittens, libros Belgicos Romano odore imbuebat.

Tenebat praecepta, quibus summi viri e Graecia et Italia hanc artem illustraverunt; in promptu erant pulcherrimae dicendi figurae formaeque, in numerato nervosae philosophorum sententiae, ipsa denique totius artis exempla ita inhaerebant animo, ut, quamvis vellet, ab his discedere ipsi fuisset difficile. Ista igitur ratio, a Romana ad Belgicam deducta, homines et delectare et capere debuit.

Nonnulli hanc Borgeri laudem novitati adscribebant, qua legentes percellebantur. Hos rogo iterum et tertium legant, et si dicant, se minus minusque teneri, non probare, fastidire, his ego dictum puto, quod nobilissimus olim pictor de tabulis suis usurpare solebat: »Culpabit quis potius, quam imitabitur." Non est, non est novitas, quae sacras Borgeri orationes adeo commendat. Nam quidquid est novum, nisi idem sit bonum et eximium per sese; levi modo gloriolae aura et cito peritura adflatur.

Septem fere anni sunt, quum sacrae illius orationes primum editae, duo, quum typis repetitae sunt. Iam meliores homines, et ingenii et doctrinae elegantis, caeterum rudes literarum Latinarum, uno ore profitentur, se nunquam ad eas legendas nisi recenti semper voluptate accedere, nec, nisi una perlecta, posse discedere. Et quam huius rei esse causam dicamus, nisi ipsam libellorum praestantiam? Ita non vulgaris dicendi forma allicit, Romana maiestas admirationem iniicit, simplicitas mulcet, varietas tenet. Atque ista quidem varietas tanta est, et tam insignis, ut omnem fere spem imitationis praecidat. Verna-

culus igitur Borgeri sermo colore Romano non leviter tinctus est, sed penitus adeo imbutus, ut, si eluere velis, totum corrumpas et tollas. Quaesitum est, ni fallor, a doctis hominibus, et publice omnes proposito praemio invitati sunt, ut responderent, quo pacto gravitas nostri sermonis optime conservari atque etiam augeri posset. Si quis me rogaret, in quo primas ponerem? Responderem in Latino sermone. Secundas? In sermone Latino. Tertias? In sermone Latino. Si dubitaret, illi scripta Borgeri ostenderem, quibus meam tuerer sententiam. Et vero ingenium populi Romani, quale fuit in libera republica, constans et augustum, mirabiliter cum ingenio populi nostri convenit, ut interdum non intelligere possim, qui factum sit, ut lingua nostra similior sit Graecae, quam Latinae.

Quodsi talis in lingua vernacula esset Borgerus; qualis in Latina fuerit, sponte apparet. Nam si illum, qui totus erat suus, ex seseque aptus, alios imitari dicere liceat, dicam illum Belgice Latinos, Latine se ipsum imitatum; vel — si hoc malitis, Latine cogitasse, adeo studium ipsi in naturam transierat. Multi multis versuum millibus post Ciceronem de optimo Latine dicendi genere disputaverunt, Iliadem post Homerum exorsi. Cui bono? Ut adolescentibus viam munirent, quae ad eloquentiam duceret. Scio, nec vitupero. Sed hoc per mihi molestum est; hoc multorum adolescentium causa vehementer doleo, quod diutius ingenti praeceptorum mole onerantur et propemodum ita obruuntur, ut rarus inde ad lucem et splendorem verae eloquentiae emergat.

Medius per Thessalica Tempe fluit Peneus, amne sedato, pellucido, magnifico. Si quis Penei ipsius cognoscendi cupidus adolescens viae ducem quaereret; isque comiti suo multa de fluminis natura iucunde narraret, interdum etiam

aquae heminam daret adspiciendam, caeterum a Peneo removeret, nonne ludibrio haberi adolescentem putaremus? Hic sibi, si sapiat, melius consulet. Nos adeo, ut lex illa caste Deos adiri iubebat, ipsa eloquentiae exempla adeamus bene praeparati, ut Borgerus, quaeramusque aliquem, cui maxime similes fieri cupiamus.

Quem quaereret Borgerus, non diu deliberandum habuit. Omnia enim, quae hic summa censentur, ita in se uno coniunxit Cicero, ut nihil admodum in eo desideratum sit. Quid? quod sua ipsum indoles et voluntas ad Ciceronem ferre debuit. Multa enim fuerunt in Cicerone paria, et in Borgero, iocandi amor praecipue. Ea cupiditate Romanus interdum adeo non temperavit, ut mallet amicum perdere, quam dictum. In scriptis etiam suis, locus modo detur, nunc salibus perfricat, nunc acumine pungit, nunc facetiis delectat. Idem faciebat Borgerus, loco et tempori nonnunquam minus consentaneus, quod amici etiam non semel illi dicebant. Agnoscebat, parcius se facturum pollicitus; sed naturae tam parum resistere poterat, ut hoc vitium aeque amare, atque amici ferre viderentur. Quoties illum monuerunt, ut elephanto isti suo tibiam eriperet, vel potius totum elephantum cum tibia tolleret? Aiebat. Non fecit. Sic erat.

Caeterum mira puritate, copia, venustateque sua cogitata investiit. Apta et propria sunt verba, dives orationis cultus, elegantia nativa. Ipsum saepe Ciceronem me legere putabam, qui hominem, in Frisica lingua natum, legerem. Adeo suum ubique exemplum refert, et tamen sui iuris, liber et integer a se uno pendet. Nec vero anxia et religiosa imitatio in Borgerum cadebat. Multi olim ex recentioribus hoc ignorantiae et naturae vitio laborabant, quos mihi videte quam se ridiculos praestiterint.

Orationes et epistolae olent sudorem scribentium, tument nitentis vultu, et tacitae clamant, auctorem suum Thesauro Nizoliano non magis carere potuisse, quam anum edentulam, si loqui velit, eburneo dentium munimento.

Borgerus facundiae Romanae non ossa modo, sed succum et sanguinem referens, de quacunque re vellet, facile et Latine et ad rem apposite scribebat. Neque fere minus expedite loquebatur.

Magna olim fuit inter doctos homines controversia, utrum Latine confabulandi sive non meditate pro concione dicendi consuetudo utilis esset nec ne. Itali inprimis, Bembus, Pincianus, Osorius, aliique homines disertissimi, vehementer ab ea abhorrebant. Erasmus ille nostras Bernardum, ut scribit, Ocricularium, nunquam potuit impellere, ut Latino sermone secum uteretur. Subinde interpellabat: »Surdo loqueris. Vulgaris linguae vestratis tam sum ignarus quam Indicae". Verbum Latinum non potuit extundere.

Credo equidem totum hoc Latine loqui ad ea pertinere, quae Graeci philosophi media appellabant, hoc est, quae ipsa nec proderant, nec nocebant, et utrumque faciebant, pro usu nempe possidentis. Docemur nimirum exemplis, utramque facultatem non esse dissociabilem, cum aliis, tum Borgeri, cui et in Scholis docenti, et cum amicis, si res ferret, sermocinanti, Latina oratio non contorto nec interrupto, sed aequabili liberoque cursu ex ore effluebat. Neque ad hoc opus ipsi erat temeritate, sed fiducia quadam et virium conscientia.

Longior fortasse fui in iudicanda Borgeri facundia, sed pertinebat ad illum literatum, ex opinione quidem vulgo recepta, quae tamen in dies obscurari coepit, et brevi, ut speramus, omnino evanescet. Cur autem, quid futurum sit, mente et cogitatione praecipio, quum hac aetate prae-

stantes in sua quique disciplina Theologi, Iurisconsulti, Philosophi et Medici ostendant, artem huius, quam quaerimus, elegantiae, non propriam literis, sed omni doctrinae esse communem?

Novum nonnullis accidit, Borgerum, qui in oratione soluta cedebat nemini, a ligata abstinuisse, illum, qui tam nervosos et venustos versus Belgice componeret. Hoc mihi nunquam novum accidit. Nondum enim didicerat, nec forte unquam discere coepisset, quia animus et studiorum cursus illum alio ferebat.

Non hoc dixi illius culpandi causa, nam ars ista non magnopere ab eo postulabatur. Si dixissem, iure mihi vitio verterent, quod philosophiam Kantianam non intelligerem. Non possum redarguere asseverantes istam philosophiam multo esse difficiliorem, quam Latinam poesin: imo rem plane non dubito, quum audiam libros ferri, in quibus singula verba certaeque ac destinatae sententiae explicantur, quibus doctor Regiomontanus suam artem explicavit. Sed nusquam tamen legimus, quemquam a somnio repente poetam Latinum Graecumve prodiisse, nisi in fabulis de Hesiodo et Ennio.

Vos mihi interim audite hominis cuiusdam sententiam: Borgerus, inquit, qui linguam Latinam, ut nemo magis, callebat, tamen versus Latinos non fecit. Cur? quia habebat iudicium subtilius et elegantius, quam ut crederet, animum, divino furore inflammatum, quid sentiret, Latinis versibus posse effundere. — Nolo equidem in diluenda tam insigni calumnia immorari, nam irascor quum cogito. Dî boni! Eo audaciae, vel dicam stuporis, processisse quempiam, ut haec scriberet in patria excellentissimorum poetarum genetrice, vivis atque videntibus D'Escurio, Lennepio, Hoeufftio, audientibus egregie doctis hominibus,

qui, artem ipsam non tractantes, eiusdem se laudatores et admiratores profitentur? Borgero non opus erat hac laureola, quem credo hilariter fuisse risurum, si quis huic iudici suam sententiam ita reddidisset: Titius, Latine intelligentissimus, prosa oratione sibi non utendum esse putat. Cur? quia arbitratur, se cogitata mentis, coelesti spiritu commotae, nisi canendo, non posse explicare.

Mihi altius repetere non libet, a quo fonte iste Latinae poeseos contemtus manaverit, nec queri audeo, quantum detrimenti per hoc fastidium et superbiam universus literarum cultus fecerit. Hoc copiose et graviter egit Hermannus ille Bosscha, cui et aetas et praeclara de studiis humanitatis merita hanc auctoritatem dabant. Dolendum sane est fuisse olim in omni fere Belgio, quum docti homines facultatem bene Latinam orationem, epistolam, aut quamvis disputationem componendi, non valde curarent. Poetae inprimis suum agebant negotium, tanto saepe in sermone numeris poeticis adstricto praestantiores, quanto in soluto inferiores. Qui artem hanc poeticam non amabant, hanc etiam reprehensionis occasionem cupidi arripiebant. Sed in hac calumnia diu delitescere non potuerunt. Mox enim exorti sunt egregii homines, qui ostenderent, se non minus in Cicerone, quam Virgilio esse versatos.

Quantum Borgerus in Graeca Latinaque facultate Grammatica, ea quam veteres intelligebant, quaque Wyttenbachii gloria maxime censebatur, profecerit, quominus publice ostenderet, morte impeditus est. Affectam reliquit novam Iuliani editionem, quae non metus est ne perficiatur ab aliquo rerum perito.

Herm. Bosscha) Disputatio de male neglecto Poesios Latinae studio, praelecta in conventu tertiae Classis Instituti Regii Belgici. Amstelod. 1817. 8o.

Iucunda mihi fuit cogitatio gravissimi utilissimique laboris, quem Borgerus in tanta vitae brevitate feliciter exhausit, et valde laetor in hoc etiam proditum fuisse illustre exemplum, in summa studiorum intentione et doctrina humanitatem posse servari, imo augeri amplificarique. Nam quod nonnulli in communi hominum societate sint superbi et a vita elegantiore abhorrentes, hoc sibi a natura insitum, ratione corrigere sive non potuerunt sive noluerunt. Omnes autem, qui Borgerum habuerunt cognitum, viderunt his vitiis fuisse immunem, quibus laudes suas adeo non obtrivit, ut, quo hac aetate nemo esset eruditior, nemo diligentiorem literis navaret operam, idem modestia et humanitate praeclare eluceret.

Qui tantum viae spatium confecerat, optime prospiciebat, quantum superesset perficiendum. Contra, qui passus aliquot ingressi sunt, hi reliquam longitudinem nec oculis nec animo metiri possunt. Solebant maiores nostri sententiam sibi quisque propriam usurpare, tamquam insigne aliquod, quo non minus quam ipso nomine cognoscebantur. Ita duas reperio, specie diversissimas, Marci Zuerii Boxhornii »Quantum est quod scimus!" Danielis Heinsii »Quantum est quod nescimus!" Has sententias, qui sibi vindicaverant, recte interpretabantur. Si intuearis, quales videri possint, dixeris illam esse temerarii iuvenis, hanc prudentis senis.

Vidit hoc Theophrastus, qui in summa senectute se mori querebatur, quum intelligere coepisset, quae restarent discenda. Vidit hoc Crassus ille nostras, quem, de hoc ipso argumento habiturum orationem, mors paucis ante diebus occupavit. Vidit hoc Borgerus, viderunt alii omnes, qui docti esse quam videri malebant. Neque adeo sine causa dictum est: Quo quis indoctior, eo impudentior!

Reperti sunt, sed numero paucissimi, qui opinarentur, Borgerum sententiam interdum suam dictatoria maiestate ac quasi pro imperio pronuntiare. Si vestigium huius rei in illo deprehenderint, tribuant voci, gestibus et corpori, non tribuant animo, nisi ille forte iocari vellet, aut malum proiicere in medium, non Eridos, sed amicae disputationis.

Memini Henricum Constantinum Crassum, aliquando in media circumstantium corona sedentem, multa iucunde de Ruhnkenio et Valckenaerio narrare, et laudes utriusque praedicare. Videbar mihi audire Laelium aliquem aut Scaevolam: dulcisque et canora vox sapientissimi senis in omnium animos leniter influebat. Hic subito et quasi ex tripode Borgerus: »At Valckenaerius literas Graecas magis callebat quam Ruhnkenius." Subridere unus et alter, nemo inique ferre. Noverant enim Borgeri simplicitatem.

Huius ille simplicitatis interdum poenas luebat, ut Philopoemen vilis vestitus. Lector sacrae Hermeneutices in Frisiam cogitans, nave vehebatur Harlemo Amstelodamum. Inter alios vectores erat homo iam grandi aetate, ornatu et sermone professus Theologum. Borgerus non tacuit. Nam Frisii in itinere tempus fabulantes magis, quam legentes aut secum meditantes, fallunt. Theologus intelligens Borgerum attigisse linguas antiquas, cum uno colloquebatur. Iamque ad mediam viam processerant. Egrediuntur in terram, unde alteram navim peterent. Hic Theologus quatuor sarcinis impeditus »Quin tu, inquit, adolescens, manum mihi commodas, et hoc mecum partiris? *Leve fit quod bene fertur onus.*" Borgerus partitur. In altera navi sermonem persequuntur, et Theologus »Tu in Academia aliqua discipulus literis studes? Studui, respondet Borgerus. Candidatus igitur? Fui. Num nostri ordinis non es? Non

plane. Sed tamen sacros libros interpretor. Appellant me Leidae lectorem Hermeneutices."

Cum ista simplicitate et modestia coniungebat ipsi propriam quandam hilaritatem et humanitatem, quarum alteram a natura, a literarum cultu acceperat alteram, utramque hominum consuetudine alebat magis quam formabat. Sed frustra in re omnibus notissima verba facio. Igitur brevi concludam: Borgerus, qui diligentia cum diligentissimis, eruditione cum eruditissimis certabat, idem comitate et festivitate cum omnibus certabat, qui inprimis comes et festivi habebantur. Cum nauta sermocinabatur de ventis, cum aratore de tauris, cum unoquoque de pluviis et solibus. Conviviis frequens et primus aderat, postremus relinquebat, acceptus omnibus, omnibus carus, omnibus iucundus. Hic sales et lepores serio vultu iaciebat, quos vix numerares. Publicos eruditorum hominum conventus diligenter obibat, adeo, ut, si desideraretur, aegrotum esse crederent. Concilium indictum erat Amstelodamum? Borgerum in primo agmine confluentium conspiceres. Ultraiectum? Venerat, antequam cogitares. Harlemum? Nunquam praesentia illius caruimus. Ita qui libris suis unice esse deditus, vitamque intra parietes et in umbra transigere videbatur, plurimum in lucem atque solem prodibat, et omnium minime amicitias et sodalitia fugiebat. Neque ego a Borgero aliter fieri exspectavi, imo valde mirarer, si secus fecisset.

O felicem ingenio hominem, felicem doctrina, felicem honoribus! Utinam illi in rebus domesticis melior fortuna contigisset! Animum ad uxorem applicuit, duxit, unice amavit, acerbissima morte amisit.

Misera profecto res esse debet, uxorem dilectam videre morientem, et hoc brevi post tempore, quam te primum

fecerit patrem. Lacrymaris prae gaudio, novo illo et mirabili, salvam tibi uxorem et in portu navigare fingis, quum, ecce, subita vis venti omnem tuam felicitatem reiiciat, et scopulo acuto illisam diffringat. Hoc spectat a litore maritus, et dum spectat, bis ipse moritur. Durissimum est, sed adhuc parum. Vulgata sunt illa poetarum — suprema morientis mandata — natantes in morte oculi — anima extrema pio ore excepta — vulgata, inquam, verbis, sed experienti nimis vera usu. Accedit potens domina, consuetudo, et tristitiam magis exulcerat. Tunc enim, quum mentem a dolore quam maxime avocare et ad laetiora transferre debebamus, ipsi nostrae quietis turbatores, malum alimus. Cadaver, a quo omnes natura abhorremus, dies aliquot domi iacet inhumatum. Solis radii clausis fenestris arcentur, et diu in solitudine versantes, luce prohibemur, impune cruciati, tamquam tormento, frigidis salutatorum officiis. — Tandem atra in veste, in atris infulis e latibulo prodimus, et ipse teneri infantis conspectus cicatrices revellit.

Quodsi hoc omnibus mortalibus acerbissimum est, ut est, nescio an doctrinarum studiosis non sit acerbius. Ratio enim vitae otiosae omnes cogitationes invitis etiam in misero casu defigit. Diem legendo commentandoque transactum sera vespera excipit. Posita est coena. Desideratur, quae fessum maritum dulci sermone et alloquio recreet. Incidit ille imprudens in vestem aliquam aut ornamentum, quod fuit mortuae. Et quis animo tam firmo et constanti est, ut in aedibus durare possit, nec per tacitas urbis vias erret, et cum luna et sideribus suam aegritudinem conqueratur?

Haec et alia plura Borgero fuerunt toleranda. Quam graviter hoc fulmen animum illius percusserit, et diu in

vita communi, et publice bis deploravit. Audivi eum, cum in oratione de Historico Divinae Providentiae Administro, lacrymis et fere singultu impeditus, vix diceret, ista se clade ità fuisse oppressum, ut, quarum literarum in summo dolore efficax esset solatium, harum amorem ipse dolor in se exstinxisset. Fertur etiam carmen patria, ut solebat, lingua ab ipso compositum, infantique suo dicatum:

Adspicis hanc, mi care infans, hanc adspicis aedem?
Haec mihi dilectae coniugis ossa tenet.
Illa sui secura, Deos venerata rogabat;
Posset vagitus combibere aure tuos!
Combibit. Et nobis simul hinc erepta recessit.
Sentis dira animo vulnera facta patris?
Nam tua cur facies motu convulsa tremente
Impletur salsis parvula lacrymulis?
Curve meum laceras ploratu pectus acuto?
Lacte peregrino non patieris ali?
Fallor? an huc (refero horrescens) tua brachia tendis?
Inque sinu hoc templum patris adire cupis?
Et cupis in tenerae matris reptare sepulcro?
Nostraque cum duro fata queri lapide?

Caeteraque ad hunc modum mollia et lugubria. Quod autem cecinit,

Tempus erit, quo tu, firmato poplite, patrem
Ad bustum matris, nate, sequere tuae!

hoc, ut scimus, filio non contigit. Vivit ille quidem, et vivat quam diutissime, sed vivit hoc comite suo ad maternum sepulcrum orbatus. Si puero olim maturior aetas venerit, ex caeteris quidem optimi parentis scriptis discet,

quanta in illo rerum maximarum fuerit scientia; ex hoc autem carmine paternae pietatis magnitudinem intelliget. Huius beneficii fructus percepit brevissimos, neque tamen ideo minoris faciendos. Fieri potest, ut haec mea verba aliquando legat audiatve. Legentem audientemve moneo, hortor, obtestor, ut hanc clarissimo patri pro summo amore velit referre gratiam, ut ipsi quam minime dissimilis reperiatur.

Borgero tandem religio Christiana, ratio, tempus et literarum studinm doloris faces exstinxerunt. Iterum duxit uxorem, sperans se priori calamitate metu novae esse defunctum. Iterum ei moritur uxor, et Borgerus fit ludibrium humanorum casuum. Geminatum vulnus miserum hominem orbavit, laceravit ac prope exstinxit. In manibus est Belgicum illius carmen ad Rhenum. Viri, feminae, pueri memoriter tenent, et moesto vultu nec siccis oculis recitant:

Tandem igitur fera cessit hyems: vincloque solutus,
Rhene pater, faciles ad mare volvis aquas.
Ad tua conveniunt iuvenes de rure fluenta,
Ulvaque virgineos lambit amica pedes.
Teque per Europam fluviis dare iura loquuntur.
Maxima tu certo limite regna secas.
Tu procul aëriis monstrans ex Alpibus urnam,
Nunc risum viridi, fers modo fronte minas.
Me quoque, Rhene, tuae recubantem in margine ripae,
Laeti viderunt et sine nube dies.
Saepe calens placido pectus saliebat ab igne,
Quaeque mihi obtigerat, sorte beatus eram.
Parva domus, sed amore meae mihi coniugis ampla,
Et non infidi iugera bina soli.

O quoties denso annosae sub tegmine quercus,
Dum tacita in niveis Luna nitebat equis;
Tempora coelestis speravimus aurea vitae,
Et fuit in nostro plurimus ore Deus!
Nunc autem? Ah! raros possum numerare capillos,
Et lacrymas possum non numerare meas.
Ante suas retro Rhenus properabit ad Alpes,
Flebilis ex animo quam cadat iste dies;
Iste dies, quo rapta meis amplexibus uxor,
Atque iterum capiti rapta corona meo.
Est Deus. Haec mea certa fides, haec certa manebit.
Et qui nos, quamvis non videatur, amat.
Sed duplicis luctus, Deus! hoc ignosce marito
Et patri, tolero non patienter onus.
Cattigenae qua te miscentem fluctibus undas
Oceani salsis, Rhene Batave, vident,
Illic condita sub tenui iacet uxor arena,
Et mea spes atque una omnia vota iacent.
Te precor, hos fletus, precor, haec suspiria lassi
Pectoris ad tumulum, dona suprema, vehas.
Non ego sustineo manes turbare quietos,
Nec mea per miseras fata queri inferias.
Sunt fletus matri, tenerae suspiria natae;
Haec cubat in matris sarcina parva sinu.
Nuper erat secum sola in tellure reposta.
Quae nasci vidit, vidit et hora mori.
Matri dilectae quum mors quoque lumina clausit,
Effossa est terra cista minuta sua.
Inque domo eadem conclusi natamque parentemque.
Una domus, iunxit quos Deus ipse, decet.
Infans nutricis circum ubera brachia stringit.
Ah! blandam alterius neutra petivit opem.

Te precor, hos fletus, precor, haec suspiria lassi
Pectoris ad tumulum tristia, Rhene, vehas!
I nunc Borgere! et citra tibi finge sepulcrum
Elysias valles Elysiumque nemus!
Hoc alii faciant! Cupio vestigia retro,
Si licet, emensa ponere nulla via;
Sed, quemcunque diem vixi, vixisse supremum.
O venias subito mortis amica quies!
Lux odio est! Odio facies nitidissima solis.
Huic septem imminuit lustra gravis capiti.
Interea moestum subito pede labere tempus,
Rhenus ut hiberna labitur auctus aqua.
At vos reliquiae dulces, vos cara valete
Pignora. Sit vestro terra levis cineri!
Ipse brevi veniam, veniam coniuxque paterque,
Sentio, Dî! Parvum, sentio, tempus erit.

Itaque evenit. Fuit enim haec cygnea Borgeri cantio. Fuit, inquam, et flebilibus Belgici carminis modis diu omnium aures personabunt, qui, quantum in illo boni praesentis, quanta spes futuri amissa sit, intelligant. Quamvis dies hos modos sensim fecerit obscuriores, ut eis minus minusque adficiamur, tamen memoriam Borgeri in animis nostris ita conservabimus, ut appareat, nihil fere ea nobis esse tristius iucundiusque. Posteri quidem vix credent, quum audiant, tot ac tanta ab homine potuisse praestari, qui vix annos triginta et sex habebat, quum moriebatur.

ORATIO

DE

PRAECIPUA LEGE PROVIDENTIAE DIVINAE AB HISTORICO DOCTORE OBSERVANDA,

HABITA LEIDAE A. D. XV. IUNII MDCCCXXII.

AD AUSPICANDAM PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM PROFESSIONEM ORDINARIAM.

Quoties ego facta et fortunam singulorum hominum familiarumque contemplor, et ab his animum ad diversos populos adverto, ac totum denique genus humanum mente et cogitatione complector, toties me divina providentia adeo in sui admirationem rapit, ut eam pie venerer et tacite adorem.

Laudamus curam prudentiamque boni patris, qui frequentem domum et varia liberorum ingenia apte regit, temperatamque dulci amore gravitatem adhibet.

Merito laudamus.

Suspicimus principis in civitate viri sapientiam, qui, in tanta studiorum ac voluntatum diversitate, rei alicuius publicae concordiam et salutem tuetur.

Summo iure suspicimus.

Sed ubinam gentium ac terrarum fuit ille mortalis, qui

duobus tribusve populis imperio diuturno, tuto et fideli utiliter praeesse potuerit?

Cyrum hic mihi aliquis appellat? Audio, et legi a Xenophonte relatum, Cyro paruisse, et aequissimo animo paruisse, gentes, quarum aliae iter dierum, mensium aliae, ab ipso aberant, aliae regem nunquam viderant, aliae se regem nunquam esse visuras sciebant.

Sed omnis fere ista sapientissimi regis imago a Xenophonte non ad fidem historiae composita, optata est adhuc, non conspecta.

Cogitate etiam, si velitis, ne Cyros semper et Alexandros et Caesares loquamur, Carolum cognomine magnum, Carolum quintum, Philippum, cogitate, quod huius est memoriaė, nuperum totius pene Europae dominum.

Huic quum aulici et exercituum duces graviter simul et eleganter adulari vellent, hoc fere dicebant: Magnum Imperatorem cum Deo divisum gerere imperium.

Ridiculam et scelestam orationem! Vidimus enim, vidimus, quorsum novi Numinis providentia evaserit! Quam impatienter oppressae ab eo nationes servile iugum toleraverunt, tam lentae hominem, in insulam Sanctae Helenae abiectum, animam efflavisse audierunt.

Irritae adhuc fuerunt omnes omnium molitiones, plura regna suo imperio complecti studentium, quam Deus mortali mortalium causa concessit.

Imo hoc Dei unius sapientissimi potentissimique est proprium. Hic non in annos aliquot, sed omnium saeculorum cursum, non tres nec decem populos, sed cunctum genus humanum gubernat, et gubernabit, quamdiu hoc genus terrarum orbem habebit.

Xenophonte) In Cyropaediae prooemio.

Christianos homines, philosophorum etiam nomen et honorem captantes, procurationem divinam dubitasse legimus. Sed vix unquam mihi persuasi eos serio dubitasse, at laudem potius quaesisse a ferenda tam forti audacique sententia arbitratus sum.

Quid enim? Hanc sua ipsorum conscientia, hanc Graeci et Romani in tantis sacrae doctrinae tenebris refellunt; quorum poetae etiam, quum imperium Regum timendorum in proprios greges canunt, reges tamen in ipsos imperium esse Iovis cuncta supercilio moventis, adiiciunt.

Ac videte quam debile parumque sibi constans sit hoc recoctum philosophiae Epicureae genus.

Unum ex atris congestisque nubibus vehementius tortum fulmen, unus rauco horrore coelum terramque personans tonitrus, magnos homines ex edita arce sapientiae deiicit et deturbat, nec igneam sibi lucem, sed ipsum Dei minantis vultum, nec fragorem flammeae eruptionis, sed ipsam Dei vocem, videre atque audire videntur; ad eiusdem contra Dei clarissimam lucem vocemque, providentiam suam in historia rerum humanarum testantis, aures et oculos habent obstructos.

Equidem ita semper cogitavi, hoc ipsum, quod imperii divini rationes et praecipuam legem observare et intelligere possimus, iam magnum esse providentiae documentum.

Qua in re, quam explicare constitui, plurima profecto et gravissima sunt doctoris historici officia. Nam si ex omnibus fructibus, qui ex legenda historia redundant, is fructus sit unus omnium longe praeclarissimus, ut eam audiamus tamquam vitae magistram, nescio sane, quî me-

---

Poëtae) Horatius, Carm. III, 1. v. 5, 6.

lius inde ad veram felicitatem proficere possimus, quam Deum, ubi fieri liceat, attente verecundeque intuentes. Iam fingi aliquid cogitarique possit, quod historicum magis deceat, quam et Deum intueri, huius vestigia sequi, et aliis minus interdum cogitantibus indicare?

Multa sunt, nec diffiteor, plana et aperta, in quibus explicandis non indigemus multo interpretis acumine. Nam ut semina vim habent innatam, qua humo condita turgescant, viriditatem ostendant, occulte crescant, ac fructus aliquando proferant, quod fieri nempe quotannis videmus; ita usu multorum saeculorum edocti cognovimus, eam esse virtutum potestatem, ut bene cultae, suam quaeque felicitatis partem nutriat ac procreet.

Obsint tempora, ut coeli tempestas interdum seminibus, tuta fuit semperque erit virtutis merces. Atque ut medici ex attenta humani corporis contemplatione, et praeteriti temporis experientia, docuerunt infinitos valetudini inimicos esse morbos, quorum alii ex contagione quadam, alii ipsa hominum culpa oriantur, tabemque secum et mortem ferant, ita ex perpetuo eodemque rerum humanarum cursu efficimus, omnibus adhuc populis contemtum iustitiae et religionis maximas calamitates et interitum attulisse.

Et cui obscurum est, cur Deus hanc necessitatem constituerit, qui cogitet, humanum genus ad iustitiam esse natum, et semper tristibus exemplis admonitum, tandem aliquando ad beatissimam aetatem esse ducendum, testem illam aeternae pacis et unius, sed divini imperii, futuram?

Simplex fortasse et nimis antiquorum hominum a nonnullis habear, si misereri me dicam Sulpicii, qui Cicero-

---

Sulpicii) In Ciceronis Epist. ad Div. IV. 5. § 4.

nem, commemoratis Aeginae, Megarae, et Corinthi ruderibus in morte Tulliae consolabatur, et patrem indignari vetabat, si puella moreretur, quum tot oppidorum proiecta cadavera iacerent! Non melius ille, quam Pausanias, qui deploratis Babylonis, Ninives, Thebarum et Amphipoleos ruderibus, nihil se tamen mirari testabatur, qui sciret, Deum semper aliquid novare, et Fortunam pro arbitrio suo et impotentia omnia miscere.

Nunquam fuit, nec erit, tam temeraria et subita regni alicuius eversio, non magis quam Aetna ruptis caminis flammam exspirat, quoties Encelado aut Typhoeo fessum latus a dextra ad sinistram convertere libuerit.

Ut enim materia sensim per telluris foramina nascitur, et quotidie magis magisque crescit, donec in immensum aucta, exitum vi sua quaerit, cui nulli obices resistant, et in furentes flammas erumpit, ita variae ex parvo initio contractae pestes virus letale per civitates dispergunt, viribusque eundo acquisitis, omnem medicorum opem respuunt.

Tunc sero sapiunt labefactatae nationes, et in ruderibus deletarum urbium philosophantur, aut in lenta et ingeniosa tyrannorum crudelitate intelligunt, fidem, continentiam, pudorem et religionem unica esse fundamenta, quibus superstructa civitas in sua sede stabilis permaneat.

Omnium antiquarum civitatum origo et humanitas profectae sunt a Deo et religione, sive sacrorum quorundam societate. Hoc Amphictyones, hoc Panionium, hoc Hellenium, hoc templa in arcibus, hoc Romuli asylum et alia instituta satis declarant. Servius postea fanum Dianae cum populo Latino commune Romae fecerit, quasi confessionem, Romam caput esse rerum, alii deinde atque alii religionem

ad sua consilia converterint — unde communis iste in rem sacram consensus, nisi impressa quaedam animis cogitatio persuasisset, omnem potestatem a divino Numine pendere? Agnoverunt nationibus praepositi reges et magistratus, et semel modo, quantum equidem sciam, publice factum est in hanc sententiam decretum: Deus est.

Quemadmodum vero leges sine moribus nihil proficiunt, ita disciplina omnis temporis clamat, vanam esse omnem illam confessionem, si nominibus luditur, res ipsa negligitur, si divina Providentia laudatur, callidi homines providentiam in ordinem suae sapientiae cogunt, si Deum O. M. tamquam communem omnium parentem adorant, omnia ad suam, ad suorum, ad suae regionis et patriae utilitatem instituunt, si denique reges dividunt ut imperent, Deus imperat ut coniungat.

Troia erat delenda, datura quippe originem imperio Romano. Quae uno mense capi potuit, dilata est in annum decimum; idque discordia Deorum, quorum alii a Graecis, a Troianis stabant alii. Sanguine interim humano rivi manabant, et iter Scamandri caesis corporum acervis obstruebatur. Tandem aliquando Iupiter sapiens lancibus imponit fata Hectoris et Achillis. Hectoris letum vergit, finitum est certamen.

Non necesse est has lances a Iove mutuemur. Deus immortalis has dedit in universi terrarum orbis historia, et frequens est earundem usus, quod vel ex usitatis vulgo nominibus, aequati examinis, aequilibritatis aliisque, idem tamen significantibus, apparet.

Adspicite autem perversas hominum mentes!

Iniquis ponderibus utuntur, et quo res ferat et studium iubeat, alterum orbem gravissimis momentis impellunt,

Brennum imitati, quem gladium etiam iniecisse et dirum illud »Vae victis" usurpasse non puduit.

Respicite, decepti homines, quod a tergo est! Iam veniunt Camilli, iniuriarum vindices, victores gladii cervicibus imminent. Sanguine et morte luendum est, quod legem violastis, qua Deus non unius modo urbis, non unius regionis, non unius terrarum partis, sed generis humani felicitatem constituere decrevit.

Concessus est rationi, ingenio, consiliis et fortitudini liber cursus. Habent his artibus ac praesidiis ornati mortales campum, in quem exspatientur, immensum. Sed perducant suam quisque civitatem eo magnitudinis, quae vel improbis votis respondeat, brevi hac ipsa magnitudine civitas laborat. Et si communis unius rei publicae salus continetur salute singulorum civium, res autem una publica pars est universae illius, cui Deus praeest, fieri profecto nequit, ut aegrotis partibus, totum corpus valeat.

Hodie non iste mos est gentibus humanioribus, ut faciant, quod Cimbros et Teutones olim fecisse legimus, qui a Senatu Romano petebant ut sibi aliquid terrae daretur, nec obscure prae se ferebant, quid, lata repulsa, essent acturi. Aliae tamen sunt belli inferendi causae innumerabiles, ex eodem fonte omnes deductae.

Germani, narrante Iulio Caesare, publice maximam esse laudem putabant, quam latissime a suis finibus vacare agros. Qua re significari, magnum numerum civitatium suam vim sustinere non potuisse.

Itaque falsa laudis opinione decepti, bella semper inferebant, aut propulsabant illata, in vicinisque populis ami-

Iulio Caesare) De Bello Gall. VI. 23: **Civitatibus maxima laus est, quam latissimas circum se vastatis finibus solitudines habere.**

cos habebant nullos. Homines inculti et vitae civilis rudes non suspicabantur, agros circumiacentes frugibus ferendis, alendis hominibus, pagis construendis a Deo aeque atque suos fuisse destinatos.

Recentiores populi, mitius sentientes, et ad normam Christianae doctrinae instituti, non tanta sunt immanitate et stupore, ut similem circa se solitudinem esse cupiant. Imo laudant immensam Divini Numinis bonitatem, qua, ut lumen solis et aquam, ita nec terram proprium munus huius illiusve nationis fecerit. Omnibus bene esse potest, et debet, alter alterius mutua ope indiget; quare Deum imitati, in universam omnium salutem conspiremus. Non omnis regio fert omnia. Quod uni deest, hoc altera abundat. Non frustra. Imo Deus hic etiam communem illam omnium societatem commendavit.

Hoc vident, hoc intelligunt, quod veteres illi Germani ne somniabant quidem. Sed cui bono et vident et intelligunt, si tanto sibi unaquaeque natio beatior videtur, quanto maius commodum nanciscatur, separatum illud ac seclusum a commodis aliorum, saepe etiam contrarium. Testor varias hominum in aliena imperia migrationes, testor leges legibus in media pace oppositas, testor mercaturae, sine libertate morientis, servitutem. Honestae matres, pannis obsitae, fame et miseriis consumtae, pueros tenellos impare passu secum trahentes, tacitae clamant, perire aequilibritatem, negligi Providentiam, in historia docentem, mala, unde oriantur, eodem aliquando redire.

Quodsi, qui a multis inde saeculis suae patriae auctores invidendae magnitudinis exstiterint, ab inferis revocari possent, quanta voce per omnes terrarum oras testarentur: Discite iustitiam moniti et non temnere Divos!

Non certam ego regionem cogitavi, neque exempla adferam, nec vos, credo, ea postulatis. Sunt enim nota, sunt omnium nationum, sunt, si rem ad vivum resecamus, unius eiusdemque generis, poena spretae legis, qua salus et concordia mundi, vinculo firmissimo, constringi contineríque debet. Consulite rerum ubique gestarum monumenta, videtis quasi metam in immenso circo positam. Singulae gentes stadium ingrediuntur, currunt, sudant, anhelant, et, dum altera alteri iter infestum facit, deficiunt ante quam metam attingunt. Itaque ad carceres, unde erant emissae, redeundum est.

Si dubitatur an verum sit, quod nonnulli statuunt, orbem nationibus quasi circino esse descriptum, in quem orbem perpetuo motu circumducantur, at hoc non dubitatur, nationes ad hanc memoriam usque in illum orbem esse circumductas. Utrum semper circumducantur, an monitae divina voluntate, se ipsae in libertatem aliquando sint asserturae, Deus novit; vi quidem et armis nunquam eo pervenient.

. Quodsi igitur Divina providentia hoc consilium in tenendo omnium rerum imperio sequitur, sponte apparet, eandem mentem, per varias partes quasi infusam, singula ad idem consilium referre atque dirigere. Quod veteres historici usurparunt invidiam fati, ad ea explicanda, quae intelligentia non assequebantur, hoc iis tam facile ignoscimus, quam turpe ducimus, si quis hodie vel de hoc nomine cogitet. Solis et lunae vices, aestus et pluvia, certi annorum meatus herbas et fruges nutriunt, res hominum coeco crudelique casu fluant, non aptae inter se connexaeque a sapientibus et bonis causis pendeant, ut in catena annulus ab annulo?

Et tamen hic nobis occurritur a doctis quibusdam, pro-

fitentibus: Multa acciderunt adeo mira et obscura, adde, quae dura et iniqua videantur, ut pro catena illa, si nodum aliquem Gordianum dixisses, ferremus. Non enim cohaerentes annulos, sed capita loramentorum ita perplexa et implicata intraque nodos abscondita cernimus, ut gladio opus sit ad nexus resolvendos.

Bonum factum, viri egregii, quod vobis ita videri pronuntiastis, a gladio, per Deum immortalem, abstinete, et intuemini accuratius individuam rerum seriem.

Improvidus et cupidus Alexander nesciebat se illo gladii ictu non magis lora nodi Gordiani solvere, quam imperium Macedoniae. Successu enim victoriarum supra hominem elatus, ausis ingentibus excidit, et immatura morte abreptus, hoc habebat solatium, quod regnum mole sua obrutum non viderit. An credamus vivo etiam Alexandro diu quieturos fuisse tot gloriae et belli cupiditate flagrantes praetores, quorum uni ne regnum quidem nec liberorum tutelam moriens relinquere ausus fuerit? Tanta vis flammae, ab ipso rege incensae, se ipsa consumere debuit.

Causam equidem Divinae providentiae non agam, quippe quam ipsa egerit, inque historia gentium consignatam reliquerit. Bias homini cuidam malo dixisse fertur: Non metuo ne non poenas sis daturus, sed ne ego id non sim visurus. Ineptum sane dictum, et quale a sapiente nemo exspectet. Dum enim providentiam agnoscit, eandem tollit. Sic sumus homines. Inclusi angustis vitae brevi periturae terminis, una aetas nostrae aetatis fata vicissitudinesque perspicere et explicare volumus, nec respicimus praeteriti temporis memoriam. In quo si Deum cunctas fabulae humanae partes egregie descripsisse cognoscimus, eundem reliquas, ut inertem poetam, quem laboris piget, esse neglecturum putemus? Quid physici? Nonne rerum ab ho-

minum cognitione antea remotarum causas feliciter indagarunt? Nova subinde videntur naturae miracula. Quid astronomi? Movent aetherios orbes, et, ut Tribuni militares, transversos directosque planetarum et cometarum ordines instruunt. Venit ante hoc biennium a nemine antea visus nec exspectatus in coelum hospes. Et cui in mentem venit, ut diceret: Huic quidem Cometae nunc non erat locus.

Vos mihi date aliquem, non qualis unquam fuit, sed qualis fingi possit, unum omnium longe prudentissimum mortalem. Conflemus ex cerebro septem Graeciae sapientium, ex cerebro Magorum, Gymnosophistarum et omnium philosophorum sapientiam, atque in unum hominem contrahamus. Huic homini si in paucas horas procuratio rerum humanarum olim fuisset credita, non haberemus recentiorem Europam, sedem artium et disciplinarum, omnis humanitatis magistram, in cuius gremio culta sanctissimae doctrinae radix, in spatiosam arborem crevit, quae dulci umbra genus humanum velabit.

Utamur ultimae, quod reperias, memoriae primo exemplo. Sapiens meus, misericordia quadam permotus, servasset credo Assyrios. Nam regnum Assyriorum everti erat durum, Medos per captam Niniven ferro flammaque grassari crudele, infantes et feminas occidi inhumanum.

At, o bone, una se quaeque natio delet ipsa, simul atque per nimiam potentiam a bonis moribus deflectit, nec stare potest. Nisi tu aquam stare postules et in agros circumiacentes fundi vetes, si aggerem superavit. Tunc quum populi vicinos populos iniusto bello aggrediuntur, suis ipsi nepotibus arma inferunt — quum spoliant, suos nepotes bonis exuunt, — quum dolis circumveniunt, suos nepotes fraudum laqueis irretiunt. Sua avaritia, suo luxu

sua prodigentia plus, quam quod adest, perdunt. Suis adeo ipsi moenibus arietem admovent, faces ardentes tectis inferunt et innocentes liberos strangulant, si a notata providentiae vestigiis semita temere discedant.

Videt hos tumultus et trepidationes Deus immortalis, videt malitiam et ferocitatem, videt insaniam et foedam vitiorum sentinam, et lento certoque gradu per tantos fluctus tempestatesque procedens, a se ipse nec consilio suo discedit. Cuius consilii rationem esse unam humanitatis felicitatem, sed vera virtute fundatam, nemo dubitet, qui ex tot malis tantum bonorum oriri videat.

Iacebant Assyrii. Regnarunt Medi et Babylonii. Venit Cyrus — horum deleta est potentia. Persas fregerunt Macedones, Macedones Romani, Romanos barbararum gentium colluvio. Ex hac colluvione, ut ex rudi indigestaque mole haec mundi pulchritudo, Europeae nationes prodierunt, et ab ingenio et a terra ita paratae, ut, quidquid ubique sit praeclari, in se continere, et omnes reliquas gentes ad humanitatem informare possint.

Omnis fere antiquitas plurimum debuit universae Graeciae, quam adeo quasi communem melioris vitae auctorem populi ab ea eruditi venerabantur. Praeclara vox est illa Ciceronis, Quinto fratri suadentis, ut, a quibus ad alios pervenisset humanitas, iis humanitatem inprimis praestaret. Europam humanitas reliquisse videbatur, quum genus eorundem Graecorum, pellendae per artes ac doctrinas barbariae signum extulerunt. Si Europaei gratiam non referunt, agunt saltem.

Sed Deus Europaeis usus est ad maiora providentiae suae

Ciceronis) Epist. ad Quintum fr. L. 1. Ep. 1. c. 9. § 27.

consilia. Audaces, duri, callidi et mercaturae pecuniaeque faciendae avidi homines, maria adhuc ignota aperuerunt, et barbaras immanitate gentes subegerunt. Circumspicite incognitas prius terras, et coetus hominum sine religione, virtute, fide, ferarum prope ritu, viventium! Intuemini Americam, brevi terrarum omnium ocellum futuram. Quid foret illa sine Europaeis?

Qui ista accuratius exploraverunt, coniiciunt ex omni auro et argento, quod tribus fere saeculis inde legerunt Europaei, si in unam massam conflaretur, globum compositum iri, habentem diametrum octoginta pedum cum dimidio. Sit globi illius magnitudo triplo maior, superet Chimboraconem, montem in Andibus Americanis altissimum, tam vilis est omni hoc auro nova America, quam Europaei propterea non ditiores facti sunt.

Auri atque argenti, dicit ille, diligentem adeo rationem inierunt, heminas et cados fusi turpiter sanguinis non numerarunt, dolores et cruciatus innocentissimi generis silentio praeterierunt. Non excuso crudelitatem, et avaritiam Europaeorum, et scelerum poenas repetiit diu oppressa eoque vehementius erumpens libertas — nec impugnabo laudatam istam Americanorum innocentiam vitaeque integritatem — est enim hominibus a natura insitum miserorum studium — sed divinam Providentiam veneror, qui crimina, vexandis perdendisque gentibus nata, ad gentium salutem convertat.

Non immerito statuunt historiam luce philosophiae esse illustrandam, rerumque causas et quae causis tenentur, indagandas, unde discamus quare et quaeque res gestae sint, et in posterum geri possint. Ulterius progressi sunt alii, et historiam appellarunt, eleganti sane et magno nomine, meram philosophiam, sed exemplis compositam.

Ut autem Plato scribit civitates fore beatas, si a philosophis regantur, ita nobis dicere licet, firmum universae felicitatis fundamentum constitui, si singuli philosophi se a sapientissimo Deo regi patiantur, et praeclarum illud necessitudinis vinculum, quod bonis hominibus cum Deo intercedit, magis magisque adducant et contrahant. Homines falsa imagine felicitatis et magnitudinis illecti et inescati laxant illud vinculum in sua civitate. Brevi succedunt, qui resolvere et discerpere festinant. Coelo sereno maximas saepe tempestates una nubecula ostendit. Felices nationes, quarum principes omina non fallant, ut in medio mari non deprehendantur, nec miserum in modum conflictentur.

Horrescimus ad commemorationem Syllanae et Marianae crudelitatis, qua hac memoria nefarii homines, sive belluae in figura hominum, Franciam laceraverunt. Nulla in aliquo oratore tanta dicendi vis est, ut miserandam nobilium et optimorum virorum stragem digne deploret. Dicamus, quod de coena Thyestea canunt poetae, solem a capitibus regum puerorum et virginum, quae carnifices hastis praefixerant, vultum avertisse. — Sed iidem dicamus nihil etiam hoc solem vidisse indignius, quam quum in eadem Francia, brevi ante terribilem rerum conversionem, sex agricolae, patres familias, boum instar currui iuncti aquam portare cogerentur, puniendi scilicet, quod leporem sive perdicem contra voluntatem nobilis heri occidissent.

Si aër pestiferis vaporibus repletus nos respirare non sinit, supplicamus Deo tonanti, ut per fulmina liberum spiritui meatum reddat. Et tamen eadem fulmina homines

Plato) De Republ. V. p. 473, D.
Poetae) Seneca Thyest. 51. Ovid. Trist. II. 391 sq.

saepe et pecudes occidunt, turresque et domos feriunt. Quemadmodum autem prudentia magnitudinem periculi vitare, et arte fulmen derivare possumus, ita patet per annales nationibus semita, qua procedentes ipsae aliarum et suae utilitati sine calamitatibus volentes inserviant.

O sanctum Providentiae beneficium! Quî fieri dicamus, ut ratione et ingenio ornati homines, neglectis tantae memoriae praeceptis, intelligere nolint, Deum in rerum humanarum administratione constantem suique similem tenere cursum!

Ridemus veterum oracula, quae homines Deorum filios faciebant, et Graecos probamus, dicentes Pythiam sacerdotem auro corruptam et coactam Philippo favere. Num quid meliores fuerunt aut sapientiores, meliorem quamvis religionem professi principes, qui fortunam altius altiusque evectam, et ab armis, a dolis, a vigore pendentem, tamen providentiam divinam interpretabantur?

Lugebant ante hos aliquot annos ad egestatem redactae nationes, urbesque et pagos bella quotidie funestis domibus replebant. Is, in quo erant omnia, Providentiam pilae instar habens, hoc nomine populos decipere tentabat. Nunc quasi pro imperio edidit, Deum sibi dedisse et voluntatem et potentiam regendae Hispaniae. Nunc morti proximus, eoque verior creditus dux, annos ipsi vaticinatus est, quos in salutem mundi victurus esset scilicet.

Deus homini iam mentem et consilium eripuerat. Excitabantur ex veterno laesae nationes, eratque in terris una omnium bonorum ac prudentium opinio, cui opinioni nihil unquam restitit. Itaque Providentiae iste divinae nomen usurpans tyrannus, qui multa veterum facta, paucas virtutes imitabatur, turpem fugam colore Themistoclis ornavit.

Utinam hoc exemplum tyrannidis esset extremum, cuius memoria ex animis regum et imperatorum nunquam excideret! Sic fiet, ut ex campis Lipsiensibus et Waterlois, quos sanguis et cadavera caesorum pro libertate et servitute Europae mortalium, fecere pingues, efflorescat fida et sincera concordia, efflorescat vera et moderata libertas.

Sed video mihi cogitanti, quae sint *officia doctoris historici in praecipua lege Providentiae Divinae observanda*, idem fere accidere, quod his, qui a terra in altum provehuntur. Quo plus spatii absolvo, hoc plus ex omni prospectu crescere animadverto. Nunc igitur satis habebo, si vos pro humanitate vestra, quam inprimis imploro, iusto tempore componendae meditandaeque orationis, non mea culpa, exclusus, sed satis habebo, si nonnulla me adumbrasse existimetis, quae historico ante oculos habenda esse iudicentur. Aut enim fallor, aut ita fiet historia optima vitae magistra, si videamus nihil casu nec viribus geri, et Deum omnia fere in manus populorum posuisse, si voluntatem illius in monumentis rerum gestarum declaratam consulant eique pareant; civitatibus autem, quod et Plato volebat, nec muros nec triremes nec navalia nec hominum frequentiam nec aliam quamvis magnitudinem ad veram felicitatem prodesse sine virtute.

Qua in re si non erraverim, Curatores Academiae nobilissimi, vos me et haec et alia officia implere conantem, vestro favore et benevolentia prosequimini et animum adiungite.

Quod et Plato volebat) Alcibiad. I. p. 134, B. Gorg. p. 518, E. vid. I. L. G. de Geer Diatr. in Politices Platon. principia (Tr. ad Rhen. 1810) pag. 158.

Non me latuit, ne credite, non latuit summa muneris a me obeundi gravitas, neque ad hanc docendae historiae partem ita ut ad docendas literas accessi.

Serio antea et saepe mecum omnia perpendi atque exegi. Cogita, dicebam, rei suscipiendae novitatem et amplitudinem; cogita, in quam Academiam sis venturus, cui successurus, quos collegas habiturus.

Cogitavi, amplissimi Curatores, mihique eundum esse iudicavi, quo me honos et gloria vocarent, postquam praesidia circumspexeram, quibus fretus viam ingrederer.

Primam ac praecipuam spem in Deo O. M. reponebam, qui me in multis vitae meae rebus, ipsum agentem ac vigilantem, pro infinita sua bonitate, auxilio sublevavit et adiuvit.

Alterum, quo fidebam, auxilium, vestra erat humanitas, cuius causa vos non minus amari, qnam virtutum causa observari, non incertis mihi auctoribus constabat.

De tertio, quod habebam, adminiculo, hoc a me ipse petebam, hoc est a diligentia et assiduitate, in quibus mihi adhuc mediocriter, aliis fortasse paulo plus satisfeci.

Quibus praesidiis, Clarissimi Professores, si vos amicitiam vestram adiunxeritis, quam merere conabor, meruisse et iucundum et gloriosum et utile habebo, mirum in modum mea felicitas et fiducia augebuntur.

His porro ipsis tum nihil deesse arbitrabor, optimi et optimarum literarum studiosi Adolescentes, si hoc, sed bonis artibus, praestitero, ut vestra me existimatione, fide, et amore non indignum esse arbitremini.

Vulnus, quod acerbissima morte Borgeri vestri accepistis, sanare, desiderium talis ac tanti viri exstinguere, reddere

exemplum ingenii, omnia quaecunque vellet, complectentis, hoc si ego profiterer, et ineptus sim, nec vos me feratis.

Sed vulnus, qua possim, lenire, si tandem cicatricem ducat, sed desiderium mitigare, sed exemplum longe sequi, hoc me profitentem et feratis, et facientem adiuvetis.

Quanti ego Borgerum fecerim, alias ostendi, ausus etiam post Roscium in scenam prodire.

Nunquam vero iste sensus in hoc pectore tam novo et mirabili more viguit, quam hoc tempore, hoc loco, in hac causa viget.

Atque utinam illum, si vellet, lacrymis et auro, et si quid auro sit pretiosius, redimere et in vitam revocare possemus! Bone et magne Deus!

Qua voluptate ego hinc praeclarissimum hominem limen intrantem conspicerem!

Quo studio, qua veneratione vos illi locum cederetis!

De me quaeritis?

Ego Harlemi in literis, in conscientia mea, inque veteri amicitia laetus ac lubens acquiescerem.

ORATIO

HABITA

LEIDAE AUSPICANDIS LECTIONIBUS

MENSE OCTOBRI A°. MDCCCXXXI.

ALUMNIS ACADEMIAE LEIDENSIS

P. HOFMAN. PEERLKAMP.

L. M. D. D.

Quam religiosi fuerint Graeci et Romani in observandis diebus, quibus rem graviorem susciperent, nemo vestrum est, H. A., qui ignoret. Si autem subito quid agendum esset, et forte is dies ante annos et saecula laetus reipublicae exstitisset, tum vero de felici eventu non dubitabant. Quamquam apud nos, qui Christiana religione imbuti simus, nihil valere debet haec superstitio, et hoc nobis omen est longe praeclarissimum, habere optimorum consiliorum testem conscientiam, tamen eiusmodi dies propter ipsam rerum ante actarum recordationem, nescio quomodo, solent esse iucundiores, adeo ut spem bonam taciti ostendere videantur.

Ita, quod per ducentos quinquaginta sex annos, quos Academia Leidensis stetit, nunquam accidit, hoc anno ter-

tium diem Octobris instaurandis lectionibus indictum esse videmus. Hoc, quod ad diem attinet, factum est rege imprudente, imprudentibus aliis, qui ista curant. Ego omen accepi, accepistis, Academiae nostrae alumni, accepistis ingenui huius urbis incolae, qui hunc diem ipso natali vestro habetis cariorem.

Erat profecto, semperque erit, tertius ille Octobris dies non modo Leidae, sed etiam universae patriae longe praeclarissimus. Hic primus post multas calamitates et miserias Hollandis nova quadam luce arrisit, et Hispanos vinci posse docuit. Hic ostendit, non duras in aere et ferro cohortes, non praedae aut vindictae sitim, non ferociam nec superbas minas, non vim tormentorum strages late spargentium, victorias praestare. Parva civium, vix bene armatorum manus, amor patriae, spes in Deo posita, patientia et constantia, impetus Philippi repulerunt, illius, cui Europa esse videbatur parva.

Quem animum creditis fuisse Guilielmo principi Arausionensi, cui Delphis in templo sacram orationem audienti nuntius liberatae obsidione Leidae afferebatur? Haud alium puto, quam quo nuper Guilielmus rex victoriam Lovaniensem accipiebat. Intellexerat vir sapiens quam vim exemplum urbis, tam diu et frustra ab Hispanis petitae, domi forisque esset habiturum, quantum fiduciae geniturum. Itaque in omnibus patriae oppidis, ubi per inimicos licebat, ingens erat laetitia, Leidae inprimis, et animi vulgo ad studium excutiendae tyrannidis erigebantur. Iam nihil in bona causa desperandum. Fortes et pios mortales Deum ipsum adiuvare, cuius auxilium praesens in gravissimis periculis apparuerit. Non fame non peste, quae ultima mala obsidioni accesserant, fractos civium animos, quin aegra corpora in propugnaculis steterint intrepida. Quum omnes

humanae opes defecissent, ipsos ventos et aquas pro Leidensibus quasi militasse, et partem muri cum fragore collapsam, qua liber introitus hostibus pateret, iisdem tantum incussisse terrorem, ut fugam maturaverint.

Nec frustra fuit tam illustre virtutis fideique exemplum. Hoc omnes intuebantur, hoc magistratus civitatibus, hoc duces militibus, hoc patres liberis ostendebant: magisque etiam tum eluxit, quum eius memoria novo et inusitato praemii monumento consecrabatur. Die nempe quinto Octobris Guilielmus huc venit, et cunctis ob fortitudinem laudatis, singulare aliquod et proprium munus pollicebatur. De qua re clam cum paucis e magistratu egisse, et mentionem quoque Academiae iniecisse videtur. Qualis beneficii gravitatem ut intelligerent, satis iudicii et sapientiae erat in maioribus nostris, quamquam vulgo haberentur agrestes et nihil nisi mercatores. Mercaturam faciebant longe plurimi Leidenses. Quid tum? Faciebant rem honestissimam. Petrus ille Adriani f. Werfius mercator erat et Consul. Concedite mihi, A. H., in hoc viro immortali magnificum illud nomen Romanum. Nam si cui unquam Burgimagistro ea laus tribui potuit, ut nomine appellaretur, quo Romani Brutum, Decios, Fabricium, Curium et Scipiones appellabant, merito tribui potest Burgimagistro Leidensi.

Nacti sunt igitur non vectigalium immunitatem, nec si qua alia ostenderentur commoda, sed Academiam, auctore Guilielmo ab Ordinibus Hollandiae et Zelandiae conditam. Cuius facti quanta omni tempore fuerit utilitas, non latet. Caeteri Europae populi admirabantur constantiam parvae nationis, quae in medio bellorum aestu, atrocissimo hoste cervicibus undique imminente, intra muros tormentis etiam divulsos et labefactatos, sedem Musarum constituere aude-

rent. Peregrini novas scholas frequentantes, Hollandam diligentiam, candorem et probitatem cognoscebant, easque laudes praedicando inter suos disseminabant. Nostri adolescentes iam domi habebant, quod antea foris magno sumtu et saepe morum detrimento erat quaerendum. Focos paternos amare, sua bona nosse, mores et instituta domestica tenere, saeculum fiebat, vertebatque e consuetudine in naturam. Hic filii mercatorum, opificum, nobilium, hic ipsi stirpis Arausionensis Principes ad humanitatem informabantur, et audiebant artes, sicuti Guilielmus primus in Diplomate condendae Academiae mandaverat, *quibus liberae civitates, omni tyrannide sublata, recte possent administrari.* Sic res maiorum incredibile dictu est, quantas vires ex nova Academia sumserit. Neque minora erant commoda ad ipsam urbem venientia, quod inprimis intellectum est, ex quo, mutata Europae conditione, mercatura apud nos decrevit, adeo ut hoc detrimentum illo auctu aliquatenus pensarent et solarentur. Ita merces et fructus avitae pietatis hodie quoque in nepotes redundant.

Iam si causas indagemus, cur caeterae fere omnes in Europa conditae sint Academiae, reperiemus vel unam honestissimam, artium doctrinarumque propagandarum cupiditatem, vel regum et principum ambitionem, vel invidiam et aemulationem. Honesta illa causa Leidae cum aliis fuit communis, sed altera propria, quod nempe Academia sua tamquam fundamentis fide, virtute, amore libertatis et patriae sit posita.

Huius tam augustae originis memoria si animo cuiusquam excidere posset, vel ipse urbis adspectus, magnorum virorum imagines, multa rerum monumenta et nomina revocarent. Sed ea semper habita fuit sanctior, quam ut non cunctis mentibus penitus infixa haereret. Atque huius

cogitationis vis, quamquam pertineat ad universos huius oppidi cives, non minus semper tetigit generosos ipsius Academiae alumnos. Amorem patriae Natura omnibus hominibus ingeneravit, Hollandis praecipue, quibus hoc solum natale, sanguine et sudore hostibus et mari ereptum, maiores reliquerint. Sed idem ille patriae amor, quem secum quisque Leidam attulit, Leidae alitur, crescit, inflammatur, adeo ut iste ardor hospites quoque et peregrinos corripiat. Huius rei illustria sunt exempla. Quae me commemorantem, etiamsi non incognita, tamen propter rerum recordationem attenti auditote.

Nunquam Hollandia propius ab interitu abfuit quam a. MDCLXXII. quo Ludovicus decimus quartus et Carolus secundus, sine causa, et hoc odio infestiore, ad eam subigendam conspirarunt. Mari classes Francas et Anglas in acie adspicere, sustinere, et profligare poteramus. Terra non pares erant nostri exercitus, a longo inde tempore neglecti, aliis eos augeri, aliis minui, e republica censentibus. Itaque Ludovico, qui opibus Franciae tamquam suis utebatur, et aliquando dixerat *se esse populum*, facile fuit cum immensis viribus paucos et imparatos repellere, et in agrum nostrum penetrare, adeo ut iam Leidae vicinus immineret. In hoc tumultu et trepidatione cives animum non demisere, sed omnia ad obsidionem tolerandam, si Francus veniret, pararunt. Pars etiam loca extra urbem opportuna praesidiis firmabant. Interea magna multitudo adolescentium Academicorum quotidie arma exercebat, duce viro clarissimo, Christiano Mellero, Professore Mathematico, eaque brevi tanta cum facilitate, elegantia, et gravitate (nostra celeritas nondum in usu erat) tractabant, ordines componebant et mutabant, ut, qui spectatum venissent, satis admirari non possent. His Portae

Albae et contigui aggeres committebantur defendendi, noctesque et dies per integrum annum stationes et vigilias, ubi opus esset, disposuerunt.

Hoc genus militiae habetur fere minus gloriosum, quam in castris degere, noctu sub divo ad ignes vel in tenebris iacere, in agmine incedere, hostem nunc ex insidiis, nunc palam adoriri. Est sane de istis militibus frequentior sermo, quam de praesidiariis, quorum prope obliviscimur, nisi moenia tormentis quatiantur. Sed nos gloriam militarem non fama nec vulgi opinione metimur, sed diligenti disciplinae et officii observatione, quae nescio an non saepe difficilior sit in custodia oppidi. Minus certe iucunda est, quia dies, menses, annus saepe sine varietate praetereunt, et, si hostis pugnandi copiam non faciat, pugnandum est cum inimico capitali, taedio.

Franci tum ad Leidam non pervenerunt. Nostis eventum expeditionis, quam trans aquas, glacie duratas, inceperant. Dolorem irritae spei effuderunt in Bodegravam et Zwammerdamum. Flammae e tectis ardentibus surgentes a muris nostris conspiciebantur. Quae res diligentiam et constantiam oppidanorum auxit, adeo ut Leida nunquam neque antea neque post aeque fuerit munita, omnesque parati essent Francos accipere, sicuti maiores sui ante saeculum acceperant Hispanos. Quam grata esset magistratibus voluntas adolescentium Academicorum, eo ostenderunt, quod Ioannes Groenendykius, scriba, Latino carmine publice laudatos, argenteo nummo ornavit.

Mira quaedam iis temporibus apud nos erat imperii forma. Dicebamur Respublica Foederata. Revera respublicae eramus septem, praeter Drentinam non pari iure. In his septem tot iterum respublicae, quot fere oppida. Studium libertatis et privilegiorum ubique maximum, deque iis nihil

omnino remitti. Amstelodamum habebat plures incolas quam tota Frisia. Et tamen supra portas urbium Frisiae minutissimarum tam aureis literis inscriptum erat v. c. S. P. Q. Doccumensis, quam Amstelodami S. P. Q. Amstelodamensis. In hac imperii forma erant diversa provinciarum commoda, alia aliis saepe contraria. Accedebant artes et studia Franciae et Britanniae, potestas Principum Arausionensium primum incerta nec legibus descripta, deinde contracta, sublata, aucta. Res igitur tam male coniunctae, quae uno communis periculi vinculo continebantur, semina discordiarum ipsae habebant, quas aliquando in bella civilia et interitum erupisse mirum non est. Sed hoc mirum esset, tam diu sisti potuisse, nisi nossemus maiorum nostrorum iustitiam, pietatem, diligentiam, et immensas divitias.

Graves errorum poenas dedimus. Ludovicus decimus sextus delicta trium Ludovicorum innocens capite luit. Exhausta Francia avidas manus in thesauros Hollandiae porrexit. Fuimus, quod illa voluit, Respublica Batava, accepimus Pensionarium, obtrusus est nobis peregrinus Rex, adiecti fuimus, tamquam alluvies fluminum Francorum, magno Franciae imperio. Vos, optimi adolescentes, quam triste negotium sit servitus, legistis tantum et fando audivistis. Experti estis nunquam, et nunquam experiamini! Nos tyrannidem sensimus, nobis inflicta vulnera nondum cicatricem duxerunt. Ossa hominis condita iacent in insula S. Helenae, ubi lento moerore et aegritudine confectus, dignum facinoribus exitum habuit. Hic quum regnandi gratia fide violata, ex Ilva, primo exsilio, in Franciam eruperat, una per Europam *arma*, *arma*, clamantium vox audiebatur. Quadrivium illud et campus Waterlous Hollandae quoque virtutis testes fuere locupletissimi. Nuntius

victoriae universam patriam, ut par erat, incredibili gaudio replebat. Sed scitote Leidae fuisse, quibus illud gaudium dolore quodam misceretur.

Hi erant literarum studiosi adolescentes, qui, iam duos menses rei militari operam dederant, et proficiscendi cupiditate flagrabant, nunc se non interfuisse dolebant. Iam exeunte A^o^. MDCCCXIII. quum prima spes recuperandae libertatis arridebat, cives Hagani Woerdam occuparunt, quibus etiam aliquot Academiae nostrae alumni se comites adiunxerunt. Cuius facti eventus etsi infeliciter cessit, tamen magnopere laudanda est eorum audacia, qui scirent, opes tyrannidis nondum plane esse fractas, sibi autem, si in potestatem venissent inimicorum, moriendum esse omnibus. Sed inprimis ardor animorum tum eminuit, quum Napoleon, Ilva, ut diximus, relicta, iterum Parisiis, arce dominationis, patriae nostrae pristinum dedecus meditabatur. Omnes, exceptis qui valetudinem, vitia corporis, et graves causas excusarent, sua sponte, nemine Professorum clam palam hortante vel incitante, nomina militiae profitentur, pars apud duces equitum et peditum voluntariorum, pars apud praefectos armatorum civium, pars suam ipsi centuriam componunt. Centurio publice datus. Qui locum centurionis primo et secundo ordine tenerent, horum e suo corpore legendorum facta potestas. Et hos sibi dari modeste petierunt. Caeterum paratis suo sumtu vestibus, eo fere colore et modo, quo velites utuntur, quos appellare solemus venatores, intra mensem, habitu, dexteritate, et peritia milites exercitatos aequabant. Et nondum omnes, ut hodie, didicerant Mathesin. Tantum scilicet rei susceptae amor, iudicium, et ambitio valent. Atque hos adolescentes, ea agitantes, dies Waterlous occupat. Fuit nimirum ea semper Napoleontis ratio, ut partem victoriae

in celeritate et subito impetu reponeret. Ruebat saepe illud belli fulmen, quando minime exspectares, et milite Franco nihil est agilius nec velocius, etiam in fuga, quod in ista clade apparuit. Sed nondum certa spes fidae pacis ostendebatur. Franci, qui a Napoleonte stabant, stabant autem milites cuncti, tenebant oppida et castella. Validus exercitus erat trans Ligerim, eodemque multi quotidie ex tota Francia affluebant. Quare socii reges non quiescendum rati, antequam reliquiae belli essent deletae, totis in id viribus incubuerunt. Nostri quoque adolescentes evocati Montem Hannoniae profecti sunt, inde ad pagum, in quo Fredericus, Guilielmi regis filius, habebat praetorium. Hic praeerat exercitui ad observanda Francorum praesidia, variis oppidis imposita. Ita principem regium, quem nuper in literarum studiis habuerant commilitonem, eundem nunc belli ducem nanciscebantur. Postquam aliquandiu prope Valencenas, Condaeum et in aliis locis erant morati, iamque omnia ad pacem satis composita esse videbantur, tertio mense, postquam discesserant, Leidam reverterunt. Quanta fuerit omnium gratulatio, dictu arduum est. Nec facile in aliquo ea reperitur facundia, quae talis diei laetitiam verbis aequet. Redierunt ergo incolumes, corroborata laboribus valetudine, moribus incorruptis. Pugnandi facultas, plurimorum votis, ut sunt animi iuveniles, expetita, non facta est. Sed stabant parati, eosque Napoleontis milites adspicere poterant, illi, qui, Borboniorum contemtores, iram et vindictam spirabant, seque pro victis haberi vehementer indignabantur. Eam ferociam continuit praesentia nostri exercitus, in quo iuvenes Leidenses se praeclare gessisse, centuriones, duces, et ipse rex palam professi sunt.

Illud bellum patriae nostrae multis nominibus utile fuit. Ne memorem pacis leges contumaci populo aliquanto iu-

stius impositas, filii regis ostenderunt se a stirpe Nassavia non degenerasse, Guilielmus etiam sanguine suo probavit. Hollandi pugnarunt, ut qui intelligerent, quanta bona essent libertas et patria. His virtute non inferiores fuerunt Belgae, sed casu magis et temere, aemulatione et exemplo ducum, qui novo regi commendari cuperent. Nam quid essent libertas et patria nunquam antea intellexerant, nec, tam recens nobiscum coniuncti, didicerant.

Omnium nationum, quae sunt in Europa, nulla est infelicior quam Belgica. Servitus et calamitates multos fecerunt inconsideratos et pravos; natura non sunt. Clerici et nobiles semper plurimum valuerunt, caeteri fere nullo in numero, rudes et humanitatis expertes, maximam partem neque legere neque scribere intelligentes. Olim perpetua vice imperantium, nihil certum aut stabile. Quid intererat multitudinis cui serviret, dum sua onera portaret? Regio multarum rerum fertilis, situ felix, haud parvum potentiori regno, cui accessisset, momentum, perpetua fere bellorum sedes, adeo ut iam hoc quartum iidem homines viderint. Nunc subiecta fuit Hispanis, nunc Austriacis, nunc Francis, partem quoque Hollandis. Ita parebant externis regibus, tyrannis domesticis, et imperium reipublicae Francae et mox Napoleontis, quod nobis intolerandum onus, Belgis ingens erat beneficium. Nam in ea servitute omnes ordines aequo iure habebantur. Deiecto Napoleonte nobis traditi sunt, quoniam inter plurimas Belgarum gentes et Hollandos originis erat necessitudo, et commoda Europae ita postulare videbantur.

Iam Belgae, si felices esse vellent et possent, nobiscum poterant. Saepe dicebamus: Quod regnum hoc cernemus imperante Guilielmo, boni et constantis animi viro, sapiente, adversa fortuna spectato! Quomodo munus gra-

vissimum impleverit, ipsi Belgae, vel inviti, sunt documento. Quotannis apud eos agricultura, opificia, mercatura, artes et doctrinae, humanitas, crescebant, et omnes, qui regionem post aliquot annos videbant, non esse eandem una voce testabantur. Tantum valuerunt leges, libertas, et optimi regis benevolentia. Neque ingrati erant cuiusvis loci et ordinis homines, qui calumnias vero posthabebant, probe intelligentes, neque etiam dissimulantes, salutem Belgii gentis Nassaviae salute contineri. Sed factio improborum maior, pauciores bonos, Arausionistas, vi et terrore oppressit. Florebant in primis, qui cuiusvis bene institutae civitatis nervi et robur sunt, et felici sorte gaudentes, auctorem satis laudare non poterant.

At clerici et nobiles simul videbant populum iam sua imperia interpretari, coalescere utriusque nationis corpora, Belgas fieri humaniores, quam ut mos maiorum et ritus antiqui diu servari possent, aliorumque libertatem sibi fore servituti conquerebantur. Ex hoc fonte derivata mali labes, sensim per omne Belgium dispersa, auctis eundo viribus, tandem in diram illam seditionis pestem et haec mala erupit, quorum non certum invenietur remedium, nisi vicinae nationes aegri corporis partes curandas suscipiant, partem Belgis, qui sana mente sint, relinquant. Meminimus, et quis unquam obliviscetur, quomodo facinus hic acceptum fuerit. Animi nostri variis affectibus simul occupabantur, quidquid autem loqueremur, quidquid sentiremus, superabat semper indignatio. Quamdiu sol oras Belgarum illustravit, nihil unquam tali rebellione vidit indignius. Tantam infamiam non Scaldis, non ipse Oceanus fluctibus eluet, nulla unquam saecula expiabunt. Extremi terrarum populi nefarios intestabilesque homines audient.

Quicunque praesentem rerum statum in civitate evertunt,

a certis quidem consiliis proficiscuntur, sed dato semel impulsu, fortior est rerum cursus, et multa praeter opinionem et voluntatem auctorum trahit. Hoc plerumque fit, si, quod illi fecerunt, adiutores et ministri parentur stulti et turbulenti omnis aetatis homines, in dedecore atque ex dedecore viventes, qui suum nihil habent, aliorum multa sperant, atque eo tandem deveniant, ut causa cum perdito quoque et faece plebis sit communicanda. Itaque non omnia, quae patrata sunt, accidisse volentibus clericis et nobilibus credibile est. Et iam rabulas istos, qui nuper ad gubernacula iactatae navis sedebant, alios in proram, alios in sentinam reiectos esse videmus. Sed quod factum est, auctores et faces horum incendiorum reddere infectum nequeunt, et posteri vix credent, ab uno populo, qui Christianus appelletur, tantam criminum multitudinem tam brevi tempore potuisse committi. Seditio sine ulla causa, quae commode fingi possit, concitata, iura divina atque humana violata, perfidia, insidiae, calumniae, iactantia, caedes, rapinae, incendia, nomini Belgico sempiternae infamiae maculam inusserunt. Itaque secundis auribus voces accepimus quae iaciebantur, ut suas sibi quaeque natio res haberet. Guilielmus reges Europae potentissimos rogavit, ut, qui Belgium cum Hollandia conglutinassent, iidem sine damno nostro dissolverent. Interea intra veteres patriae fines recessimus. Sordidi et impuri latrones, (invitus eiusmodi vocibus utor. Quid faciam? Ingenuos et honestos appellare non possum) latrones igitur in coeruleis stolis galerisque Iacobinis, audaciores facti, impetum minabantur. Neque id mirum: si quidem oratores publice in conventibus clamarent, spoliandos esse divites Hollandos, spoliandum regem opulentum. Ea spes magnam Francorum multitudinem, praeterea vim furum et sicariorum ad gre-

ges Belgicos exciverat. Neque deerant, qui per Europam vagantes, operam et vitam offerebant, ubi ex tumultu et pugna plurimum lucrari possent.

Eo tempore in ingenti periculo versabamur, imparati a militibus, armis, pecunia. Sed Hollanda fides et constantia in rebus adversis maxime spectatur. Non sunt multi sermonis, sed, ubi opus est, agunt et vigilant. Brevi tempore, quasi coelo delapsa, classis stabat ad Antverpiam, exercitus plus quam centies mille hominum tuebatur fines, armorum et pecuniae abunde erat. Tantum concordia, amor patriae, et indignatio valebant. Ipse rex, verus patriae pater, omnibus esse exemplo, summi et infimi studio inter se certare, iuvenes, viri, undique voluntarii ad arma concurrere.

Academia Leidensis tertium virtutis testimonium dedit, unius morte, aliorum sanguine consecratum. Quam rem non satis scio quemadmodum enarrem. Vereor enim ne, si animo obsequar meo, nimis laudasse videar eos adolescentes, quibuscum mihi arcta intercedit necessitudo. Si parum dixero, ne modestiam nonnulli interpretentur sive agrestiorem sive simulatam. Utrique reprehensioni occurram, quoad potero mihique liceat. Caeterum omnem huius facti gloriam verbis neque minui neque augeri posse arbitror.

Quum anno superiore Septembri mense lectiones nostras auspicabamur, omnia e Belgio tumultuosa nuntiabantur. Exemplum Bruxellense, coniurati per totam regionem dispositi, conciones clericorum et voces nobilium animos conductae et imperitae multitudinis accendebant. Res iam ad communem defectionem spectabat. Vis et arma parabantur. Tam ingratus hominum animus, haec falsae mentis malitia, adolescentes, inprimis a fraude alienos, vehementissime

commovebat. Laudem patriae agi putabant, nec iam sopita quiete contenti, se quoque vindices perfidiae fore dictitabant, et omnibus pulchrum in armis stare succurrebat. Quid multa? Nobili ardore correpti, aliis exemplum praeeuntes, ultro nomina militiae dederunt. Voluissent omnes. Nam et ipsa militia huic aetati habet satis dulcedinis. Quid ea, quam pro tali causa, cum amicis et sodalibus geras? Sed non omnes potuerunt nec debuerunt, quos, quamquam iustissimae causae, retinuerunt tamen invitos. Ingenti igitur numero usum armorum didicerunt. Quam cito, dicere non attinet, ubi pudor et honoris studium sunt magistri. Tardius quam cupiebant, rex oblata hac opera usus est. Et tamen iam die XIII. Novembris hinc profecti sunt in Brabantiam Septentrionalem. Iam fere annus est, sed meminimus istius diei, tamquam hesterni. Pulchrum erat spectaculum. Laeto agmine incedebat flos pubis Academicae, et ad bellum, veluti festum, properabat. Viae multitudine deducentium fervebant, aër faustis acclamationibus resonabat. Erant, sed hi fere parentes, quibus lacrymae oboriebantur, vultu tamen ad placidum risum composito.

Sed nemo omnium cogitabat fore ut exercitus Hollandus novem menses ingrato otio in finibus duceret. Scimus, an potius nescimus, quid interea legati regum Londini egerint. Sed hoc scimus, quo animo nostri impudentiam et arrogantiam Belgarum pertulerint. Pauci rebelles, qui si idem in Scotia vel Hibernia vel in agro Vendeënsi fecissent, innexa laqueo gula de patibulo suspenderentur, toti Europae impune illudunt. Nimirum ars, quam vocamus Diplomaticam, difficilis, contorta et gravis esse videtur. Rerum multarum causas diu post, aliarum nunquam accurate discimus. Deliberantibus igitur

legatis, induciae a Belgis quotidie violantur, nostri indignis modis lacessuntur. Illud tempus Hollando exercitui maxime miserabile fuit, praecipue adolescentibus, quorum, quidquid ageretur, id cito agi intererat. Arma exercere, vigilias agere, pagum subinde cum pago mutare, si quam initio habuerit iucunditatem, eam consuetudine amisit. Studia literarum retractare, vita inquies et operosa non patiebatur. Quibus noctu non erat excubandum, hi propter diurnos labores somnum tenere non poterant. Non deerat sermonum materies, sed de aliis plerumque rebus, quam de Platone et Virgilio, nec quidquam frequentius his vocibus auditum est: *Quando dabitur hostis, quando pugnabimus?* Iam proponite vobis ante oculos catervas Belgicas, tam prope finibus nostris imminentes, videte agricolas spoliatos, vexatos, occisos. Audite latronum insolenter se efferentium iactantiam. Et tamen, o rem incredibilem et indignam, quia rex Gulielmus in pactione induciarum manebat, hanc religionem clamatores in tribunali Bruxellensi, Thrasones in castris et insidiis, terrorem interpretabantur. Quodsi unquam cuiusquam exercitus tentata fuit patientia, Hollandi eo tempore fuit. Tulerunt, passi sunt, duram necessitatem taciti devorarunt. Eadem semper modestia, eadem disciplina. In qua re non minorem eos gloriam, quam in proeliis ad Hasseletum et Lovanium gestis, consecutos esse arbitror. Ibi enim trepidos et ignavos hostes vicerunt, hic se ipsi. Quae victoria haud paullo est difficilior.

At rex Guilielmus, videns Londini nihil per legatos profici, et plenas aequitatis conditiones a Belgis reiici, suae et Hollandorum dignitati amplius deesse non potuit, sed inimicos armis cogere decrevit, quod ipsi legati se facturos minati erant. Itaque die praestituto inducias fi-

nivit, et copias Hollandas, duce filio, principe Arausionensi, in agrum Belgicum invadere iussit. Universus exercitus ingenti laetitia rem cognovit, et cupiditate castrorum movendorum flagravit. Illuxit dies, initium hic unius et continuae victoriae, illic fugae et cladis perpetuae. Tantum duces ducibus, miles militi, causa causae distabant.

Atque ea laus non propria est huius illiusve provinciae, sed cum universis ita communicanda, ut singuli fere duces et milites suo sibi iure partem vindicare possint. Sapienter Lacedaemonii, quum Pausanias in Epigrammate scripsisset, suo ductu exercitum Medorum esse deletum, pro his verbis nomina earum civitatium posuerunt, quae proelio interfuerant.

Multa in bellis longe aliter fiunt, quam imperatores sibi proposuerunt, praesertim si in agro pugnetur, silvis, pagis et oppidis repleto, neque hostis nisi ex insidiis et loco munito resistat, et vel sic pedum celeritate salutem quaerat. Itaque fortuna saepe hostes obiicit, non ducum prudentia semper designat. Sed ea, opinor, alumnis principis Academiae debebatur gloria, ut semper primi conspicerentur. Atque eo loco se dignos cum in tolerandis laboribus, tum in profligandis inimicis, probarunt.

Labores quum dico, non dico vulgares istos, longa facere itinera in armis et impedimentis, cibum et potionem solito tempore desiderare, noctu vigilare aut humi quiescere. Maiores erant exhauriendi, et propter celeritatem, qua omnia erant agenda, et audenda, et propter militiae genus, quo fungebantur. Venatores nempe, vagabantur ante exercitum, explorabant vias, hostes e silvis et latebris excitabant, nunc plures diversi, nunc singuli intervallo, nunc omnes coniuncti pugnantes. Interdiu calore et siti, noctu frigore et fame vexati, vicino semper hoste,

vix horam somno continuaverunt, strati, ut sors ferebat, in dura via, vel humido arvo. Ita fatigatis, novus dies nova pericula, novam rerum faciem, raro laetiorem, afferebat. Aures hortantium clamore et armorum sonitu strepere, oculi spectaculo morientium et vulneratorum affici. De suis unus, alter, plures plumbo percuti, commilito perforato capite in terram procidere, et extremum spiritum in sinu commilitonum efflare.

Nihilo secius tamen illi, quod inceperant, strenue persecuti sunt, nec quidquam de virtute remiserunt. Tantos iis animos addebat cogitatio, e qua Academia venissent, et inflammabat praesentia Guilielmi, principis Arausionensis, quo vidente ac laudante, ista militiae rudimenta ponebant. Hunc deinceps in celeri victoriarum cursu secuti, pugnando ad Lovanium pervenerunt, ubi eos maius, quam adhuc experti erant, periculum manebat. Iussi Abbatiam recognoscere et praesidio occupare, terribili tormentorum igne a Lovanio excipiebantur, idque iam concessis a Guilielmo induciis. Quod utrum Belgae in ea parte nesciverint, an solita perfidia fecerint, non affirmem. Sed uti in universo hoc certamine multa fuerunt divinae providentiae expressa vestigia, quae bonae causae favens, scelestis mentem et consilium eripuit, ita omnes globi altiores ceciderunt irriti. Itaque die XIII. Augusti, victores Lovanium intrarunt, urbem olim saepe obsessam, nunquam deditam. Eam noctem in propugnaculis sub divo laeti et hilares transegerunt, recordantes fuisse diem XIII. Novembris, quo Leidam anno superiore reliquissent. Tum vero honesti oppidani alumnos Academiae Leidensis alios esse quam Lovaniensis cognoverunt, et, quos appellabant *parvos Behringae daemones*, eosdem per inducias apparere mites et humanos.

Lovanium erat terminus victoriarum. Belgae, terrore correpti et sensibus perturbatis, flentes propemodum ut pueri inulti, auxilia Francorum implorata acceperunt, quum prope Bruxellas stabamus, ubi Guilielmus natalem sui et patriae patris celebrare, et Belgis pacem imperare potuisset. Recessimus igitur e Belgio, quasi triumphantes, deducente nos exercitu regis in Europa potentissimi, Francorum.

Iamque iterum in finibus nostris stantes, exspectamus quid legati Londinii sint acturi. Quod interim rex adolescentibus Academicis reditum ad studia concesserit, ea tamen lege, ut ad primum tumultum praesto sint, in eo quoque curam illius erga omnes paternam agnovimus, nec caeteri voluntarii ignorabant. Nam alias res fere omnes recte committas vicario, vicarium, qui pro te discat, in Academiam mittere non possis. Faxit Deus ut et hi et cives armati quam celerrime, honorifica pace constituta, revertantur! Non minore eos veri gaudii et laetitiae significatione excipiemus, quam nuper milites Academicos excepimus.

Atque hi, otio paucorum dierum recreati, iam veterem vitae consuetudinem repetunt. Annum perdiderunt. Sed ego annum ita perdidisse, magno emerim. Nam hoc perdere, lucrum est longe honorificentissimum. De literarum studiis, qui animum ad ea recolenda serio referent, hi experiendo idem cognoscent, quod agricolae in bona novali. Non frustra cessant agri, sed maiore quam solito foenore, semina mandata reddunt. Crescit plerumque retenta cupiditas, et arcus remissi fortius intenduntur. Iam tempus hibernum, horae ad focum vespertinae, et grata recordatio, quibus iam laboribus et periculis careas, ad legendum et meditandum invitant. Sed ante omnia rei

praeclare gestae conscientia tacitum animis vigorem et tranquillam alacritatem, optima discendi adiumenta, conciliabit.

Nescitis, optimi adolescentes, si qui hic adestis, nam nulla video militum insignia, nescitis, quanti momenti negotium feceritis. Dicam equidem, et sine ambagibus dicam, quia vos nullam hinc sumetis superbiam.

Ardor et impetus, quo neminis exemplum exspectantes, statim ultro ad arma convolastis, aliorum quoque studia commovit. Modeste parendo, taedium et moram amice ferendo, rem militarem diligenter addiscendo, iam in claritudinem perveneratis. Has virtutes omni vitae honestate ornavistis. Quum legatus, qui in vestro cornu curabat, vos ita cognitos in proelium ducebat, totos dies et noctes sine quiete et somno, sine cibo et potu, in imbribus et calore, intrepidi periculis obviam ivistis, multos hostes occidistis, plures cepistis, rusticos et oppidanos Belgas humanitate vestra sublevastis. Tandem, balteis inimicorum devictorum cincti, ita, quasi nihil, nisi officio functi, rediistis. Functi estis officio vestro, sed gravi et difficili, cui sustinendo tam pares esse iuvenes Academicos, universus admirabatur exercitus, adeo ut omnium animi aemulatione accenderentur. Quae res et statim utilissima fuit, et semper ubique ingentem laudem habitura est. Hanc vobis tribuit rex Guilielmus, quum copias post reditum lustrans, vos contemplatus, beatos praedicaret parentes, qui tales procreassent filios: hanc princeps Arausionensis, vester ille dux et comes perpetuus, hanc caeteri legati et duces, hanc tota patria.

Et miramini, nam mirati estis, cur ignoti quoque et peregrini, si vestrum aliquem viderent, huic continuo manu arrepta, gratularentur? Ecquid intelligitis publicam

illam pagorum et urbium, per quas revertebamini, laetitiam? Quae vos tanto cum studio et favore vultus et vocis ad bellum viderant proficiscentes, incerto etiam virtutis periculo, quid has facere oportebat, quum eosdem contemplabantur e bello reduces, fortitudine tam egregie probata? Merito reditus iste quasi unus fuit triumphus, et ingenti pompa in occursum ruebant incolae Dordraci, Roterodami, Delphorum, et adventum vestrum habebant diem festum: vici et villae iter retardabant, cunctis certatim iuvenes tenentibus, quos avitae gloriae appellabant vindices. Vobis isti flores et serta, vobis vexilla erant suspensa, vobis sonabant musici concentus, vobis fausti clamores et applausus edebantur.

Quodsi aliae urbes vestram laudem tantopere ad se pertinere arbitrabantur, quam mentem fuisse putatis Leidensibus, quum tubas vestras audiebamus, et nota moenia ingrediebamini? Sensus animorum nostrorum multis indiciis declarare conati sumus, omnes non potuimus. Sed communis laetitiae nullum certius apparuit documentum, quam quod nemo fere tam pauper repertus sit, quin vesperi, quando clarissima lumina per totam urbem fulgebant, vel parvulam lampadem, voluntatis testem, ostenderit.

Atque utinam ea laetitia tam esse potuisset integra, nullius ut mortem doleremus! Sed atrum luctus et pietatis signum, quod in dextris brachiis gestabatis, iam statim nos *Beeckmanni* admonebat, illius, qui, fortiter pugnando apud Behringam cecidit, et multas multorum lacrymas et desiderium, ante omnes carissimae matris, secum abstulit. Annum aetatis attingebat undevigesimum, et omnibus, qui eum habuerunt cognitum, propter honestissimos mores, come ingenium, et eximiam diligentiam, vehementer erat carus.

Sed querelae, quamvis in tam acerba morte, a nobis absint, neque magis quid amissum, quam conservatum sit, cogitemus, Deoque gratias agamus, quod tantum gloriae etiam non pluris constiterit. *Beeckmanno* quidem, letali vulnere deiecto, sensus moriendi vel nullus vel exiguus fuit. Iuvenis occidit. Sed multi iuvenes occiderunt et occident, etiam sine bello. *Huetius* ille noster, vulnus accepit non letale. Quo iam fere sanato, morbus egregium adolescentem occupavit et consumsit.

Adeo incerta vitae conditione, bene actum est cum eo, qui in brevi aetate tam longum ad gloriam aevum peregit. Nam quid annos numeramus? Quod quisque bene fecerit, hoc numerandum est. Sic nomen *Beeckmanni* nullo unquam tempore intermoriturum est, et nos grati illius memoriam colemus et consecrabimus. Corpus in agro hostili, in ignoto angulo iacet conditum. Levis iactura, cui tota Hollandia sit pro monumento! Quod si manes sentiant et humana curent, nos suam sortem miserari vetat, et laetari nostra iubet, qui vos e turbulento mari et atrocissimis procellis, salvos in hunc Academiae portum receperimus.

Magnum profecto beneficium! idque Deo O. M. grata ac pia mente lubentes acceptum referimus. *Leemansius*, *Stolleus*, *Nieuwenhuisius* iam fere obliti sunt, se aliquando fuisse vulneratos. Si quos praeterea plumbum hostile tetigerit, erat sine ictu, et intervallo vim amiserat.

Macti estote, egregii adolescentes, fide et virtute vestra. Otio ad literas recolendas vobis a rege concesso, ita utimini, ut vos decet, hoc est, genuinos Academiae Leidensis alumnos. Huius Academiae, quam vinculo arctiore cum

---

Nomen Beeckmanni, cet.) Beeckmanno postea Leidae in Aede S. Petri monumentum positum esse, utpote satis notum, vix opus est monere.

universa patria constrinxistis, huius Academiae laudem ut foris auxistis, ita domi eandem tuebimini. Hoc mihi, si nihil aliud, ea spondet modestia, qua in omnibus dictis factisque recentes e bello victores utimini. Atque utinam hoc otium sit diuturnum, et, sublato tandem belli communis metu, perpetuum! Sin aliter eveniat, properate, quo patriae caritas, decus et gloria vocaverint. Princeps Arausionensis non falletur, si iterum hanc vocem emiserit: *Praeitote Leidenses!*

DIXI.

ORATIO

DE VITA

IOSEPHI SCALIGERI,

HABITA AD AUSPICANDAS LECTIONES LEIDAE
D. XVII. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXIV.

Qui literas amant et colunt, nullum, praeter Italiam et Graeciam, videre poterunt sanctiorem locum, quam Senaculum in Academia Leidensi: ubi Professorum imagines inde a Scaligero, in purpurea Principis toga conspicuo, usque ad Ruhnkenium cingunt imaginem Guilielmi Primi, Academiae auctoris.

Hoc dictum non est meum, sed hominis ex Germania: et Niebuhrii, qui, quum imagines istas intuebatur, Scaligerum adspiciebat virorum agmen ducentem, Ruhnkenium claudentem, eique admiratio praecipue Scaligeri hanc vocem expressit. Et profecto, si quis unquam suo iure magnus vir habitus et appellatus fuit, fuit Iosephus Scaliger; ut adeo non mirer Ruhnkenium aliquando habuisse consilium vitae illius conscribendae et elogio Hemsterhusiano adiungendae.

Ruhnkenium consilium habuisse cet.) Wyttenbachius in Vita Ruhnkenii, p. 293. Epist. mutuae Ruhnken. et Valcken. ed. Mahne, pag. 112.

Atque utinam egregius ille et bonus vir Ruhnkenius cogitata perfecisset! Quam bene ac pulchre composita Scaligeri, Hemsterhusii, Ruhnkenii nomina! Quanto melius varias tanti ingenii dotes ac virtutes intelligeremus, quam nunc intelligimus! Vacuum ergo et relictum hoc munus auctorem exspectat, qui ut aliquando in Academia Leidensi reperiatur, cum propter gloriae necessitudinem, tum rei bene gerendae omen, vehementer optamus: nisi quis pulchrum esse arbitretur sedulum aliquem Germanum hanc quoque domesticae laudis materiem nobis praeripere.

Et ubi terrarum Scaliger, qualis quantusque fuerit, verius ostendi poterit, quam in ea urbe, in qua postremos sexdecim vitae illustris annos transegit, ubi eum per vestigia sequi possumus, ubi sepultus est, et plurima, etiam inedita, supersunt monumenta, fontes ac praesidia historiae longe meliora, quam quibus adhuc usi sunt Chaufepiedius et huius similes scriptores, accurati interdum in calumniis rebusque odiosis referendis, negligentes in iis exponendis, quae ad vitam virtutesque hominum bene iudicandas pertinent, qui ne Scaligerana quidem, neque epistolas Scaligeri et aequalium, neque orationes, neque Latina carmina perlegisse videntur.

Interea mihi est animus hoc argumentum attingere; nam explicare nunc difficilius est.

Primum imaginem Scaligeri, praecipue Leidae viventis, proponam.

Deinde librorum, quos scripsit, praestantiam explicabo.

Chaufepiedius et similes scriptores) Chaufepiedius non satis Latine sciebat, adeo ut interdum verba virorum doctorum, quibus pro testimonio utitur, non intelligat. Exemplum dedit De Crane, Or. de Vossiis et Iuniis p. 14, annot. 28. Exstat et in vita Scaligeri, de *lingua* illius.

Epistolas) Epistolas Scaligeri praeter auctoris mentem ac fortasse contra amicitiae aequissimas leges publicatas esse, contendit Cunaeus Epist. p. 253.

Denique ostendam, quam grave vir ille fuerit momentum ad artes et doctrinas in Academia Leidensi et cuncta Nederlandia amplificandas.

Iulius Caesar Scaliger, Burdenius (Burden est comitatus in finibus Carniae, et Slavonice significat *sterile et desertum*) natus ex antiquissima gente Scaligera, regum et principum procreatrice, praeter alios filios habebat Iosephum Iustum Scaligerum. Pater eum nomine Iusti, mater Iosephi appellare solebat. Ipse Iosephi retinuit. Natus est Aginni Nitiobrigum a. 1540. Post disciplinam paternam, et erat pater vir doctissimus, literis operam navavit Burdigalae, tum Parisiis. Sed tardius, quam volebat, progrediens, ipse sibi factus est magister, atque illud incredibili constantia effecit, ut totus ex se aptus, nihil non animo complecteretur.

Ingenium, memoria, iudicium abunde erant. Fructus meditatae lectionis in lucem editi, in quibus nominasse suffecerit Varronem, Catullum, Tibullum, Propertium, Ausonium, Manilium et Emendationem Temporum, ostendebant, quale et quantum bonum Francia in Scaligero haberet. Itaque fama nomen illius per Europam ferebat, et gloria, cuius fugitans magis erat quam appetens, invitum, quasi umbra corpus, sequebatur. Sed ea gloria, ut semper, habebat comitem invidiam. Hanc sensit in contubernio generosi Ludovici Castanei Rupipozaei, hanc in Academia Genevensi Philosophiae Professor. Iusta non erat, eoque odium capitalius. Ortus ex genere nobilissimo, maie-

---

Burden ... sterile et desertum) Conf. Scaligeri Epist. p. 366.

Aginni Nitiobrigum) Aginnum (*Agen*) vetus et pulchrum oppidum in Aquitania (*Guienne*) ad dextram oram Garumnae. Nitiobriges sunt, quos Franci nunc appellant *les Agennois*.

statem generis tam vultu et habitu, quam dictis et factis referebat. Integros multarum disciplinarum fontes aperiebat, adeo ut aequales vel suos errores agnoscere, vel Scaligerum refutare cogerentur. Utraque res difficilis; haec, ut sunt mortales, habita tamen facilior, et quod a veritate deerat, supplebatur calumniis. Causa sacrae doctrinae accessit. Scaliger hic erat liberalior, quam religiosi homines ferebant. Iam pater Iulius Caesar scripta Lutheri non ignorabat. Iosephus has tempestates in secessu aliquo evitasse vel potius contemsisse videtur. Annis quidem 1591, 1592, 1593, Tuningius, legatus Curatorum Academiae Leidensis, epistolae Curatorum, Ordinum Hollandiae et West-Frisiae, Mauritii et Henrici IV Scaligerum in arce Prulliacensi in agro Turonico invenerunt.

Iustus Lipsius a. 1591 Academiam Leidensem reliquerat. cui tredecim annos magno fuerat ornamento, eximius in suo literarum genere vir, in universo post Scaligerum ponendus. Curatores Academiae, in quibus Ianus Dousa Nordovix, optabant illi successorem Scaligerum, nulli la-

---

Vultu et habitu) Erat virili et pulchro corpore. Semper rectus incedebat. Conf. Epist. Heinsii et Casauboni. Cuius Heinsii verba confirmant imagines, quas habemus Leidae binas, alteram in Bibliotheca, alteram in Senaculo. Pingi non recusabat, sed a bono pictore: v. Epist. p. 585, et p. 645. Imagini additum est insigne, de quo ipse in Scaligeranis p. 342. Duo canes per scalas moliuntur. Talia et in Saxonia multa.

Scaligerum) Baudius primus Dousam de vocando Scaligero monuit, Epist. (ex ed. Amstelod. 1642) p. 30, idque ipsi Scaligero significavit, p. 36. („Ego — scripsit mense Martio a. 1609 ad Corn. Van der Myle, pag 306 — „Ego mihi ex veritatis conscientia hanc laudem citra arrogantiam meo iure vindicare possum, quod et *primus* author exstiterim ad eum (Scaligerum) e Galliis eliciendum, et suasor atque impulsor ut se exorari pateretur.") Baudius tunc in Francia versabatur, et inter alia hoc quoque Caesaroduni effecit, ut Leida ibi in numero Academiarum censeretur, et honores Doctorum Leidensium acciperentur; Epist. a. 1592. p. 42 sq. Caeterum, magnam spem ponebant fore ut Scaliger moveretur, in misera rerum conditione, quibus Francia vexabatur. Baudii Epist. p. 41, 44. Merula ad Ennium, p. 101.

bori nec sumtibus parcentes, ut eum ad accipiendam conditionem permoverent.

Saepe equidem maiorum nostrorum constantiam admiratus sum, in rebus et temporibus longe difficillimis maxime spectatam. Academiam condiderunt in mediis gravissimi belli tempestatibus, et Musas intra muros, tormentis Hispanis deiectos et ruinam minitantes, deducere ausi sunt. Nunc, in paupere aerario, dum Mauritius urbes in ipso patriae solo expugnat et amittit, Scaligerum tanto ardore flagitant, quasi in eo pars esset victoriae. Quod M. Porcius Cato Q. Ennium ex Sardinia secum Romam duxerat, hoc Cornelius Nepos non minoris existimabat, quam amplissimum Sardiniensem triumphum. Non minus Dousa et similes Dousae laetabantur, quum diu fatigatus Scaliger tandem cedebat.

Venit Leidam a. 1593, non tam peregrinus in solum peregrinum, sed antiquus Hollandus in Hollandiam. Nam erat, sicuti ipse praedicabat, septimus ab illustrissima Hollandiae Comite Margareta.

Neque Scaligerum venisse Leidam, neque Leidenses eum vocasse poenituit. Habebat tunc annos quinquaginta tres, et erat firma valetudine. Quamquam initio nonnulla homini ex Francia meridionali minus placerent, novae tamen patriae citius assuevit, quam cogitarat. Hollande nesciebat, sed sciebat Germane. Linguam Germanam in Francia

---

Venit Leidam a. 1593) De Scaligeri Leidam adventu scripsit Lipsio Franc. Raphelengius: „Quod hactenus ad te, mi Lipsi, non scripserim, in causa fuit D. Scaligeri adventus, quem indies exspectabamus: nam nullum argumentum videbam mihi offerri ad scribendum aptius nec opportunius, quam ut tibi nunciarem, quid de eo iudicarem. Itaque cum huc salvus advenerit, non possum inficiari, quin vir sit praestantissimus ac singulari eruditione praeditus: hoc unicum in eo laudo, quod humanus sit et liberalis in communicandis iis, quae habet, cum quolibet:" cet. vid. Sylloge Epist. Burmann. T. I. p. 195.

didicerat ex libris Lutheri, cuius facundiam ut laudabat, ita vehementiam vituperabat. Auxilio linguae Germanae adiutus libros Hollandos statim intellexit; et brevi Hollande locutus est, non optime quidem, sed ut intelligeretur. Hanc facultatem ei invidebat Franciscus Iunius, audiens in officina Raphelengii fabulantem (eruditi homines tunc saepe in officinas librariorum conveniebant) et dolens se idem non valere. Sed Scaligero ludus erat peregrinas linguas discere et animi relaxatio. Itaque et oratores sacros non magis Wallonicos audiebat quam Hollandos, et valde laudabat Trelcatium utraque facultate excellentem.

Leidam autem venit tamquam Bias aliquis, omnia sua secum portans, Bibliothecam in Francia, tribus locis dissipatam, relinquere coactus. Diu frustra quaesivit patrem familias, a quo in domum reciperetur et certa mercede aleretur. Totam urbem annum perreptavit. Tandem aedes ipse conduxit, supellectilem paravit, eiusque res familiaris, ut scripsit Casaubono, stabat et cadebat nutu unius famuli et uxoris eius.

Casaubonum a. 1604 Leidam exspectans: »Hyemem, inquit, luculento foco expugnabimus, qui nunquam in cubiculo tuo deficiet. Hoc tamen nullum, praeter te, habebit ornamentum." Scaliger in illa domo suis rebus contentus

---

Franc. Iunius) *Du Ion, Du Ionc* (*Iunius*, Hollande appellantur *Van der Bies*). Biturix. De praeclaro hoc Theologo vid. De Crane, Or. laud. p. 9 et 48.

Bibliothecam ... relinquere coactus) Cf. Ep. ad Casaub. p. 157. Anno 1604 adhuc pauper erat librorum.. Ab amicis utendos petere, quum suo aere comparare posset, neque civile esse putabat, neque ipsi expedire: Epist. p. 590.

Unius famuli) *Ionas* appellatus esse videtur. Baudius eius pietatem erga Scaligerum valde laudat, eumque commendat publicae liberalitati, Epist. p. 287. D. Heins. ad Epist. Scaligeri p. 839.

Hyemem, inquit) Epist. ad Casaubonum, p. 269.

Scaliger in illa domo cet.) Habitabat vicinus Carolo Clusio, Clusius in Horto Academico: vid. Clusii Epist. in Sylloge Burmann. T. I. p. 324.

vivebat. Ubi steterit, et an hodie stet, frustra adhuc quaesivi. Posteri inscribere debuerant: »*Hic Scaliger habitavit.*" — Multi eam libentius visissent quam regum et principum palatia. — Ibi ultra decennium habitavit. Postea alio migrare coactus. Leida scilicet crescenti quotidie incolarum numero parva fiebat. Plurimae domus vendebantur extrariis a. 1603 et 1604 huc venientibus.

Quamquam gravissima pestis, per totum biennium saeviens, multos homines raperet, detrimentum urbis exhaustae non sentiebatur. Academia erat frequentissima; neminem tanta strages deterruit. Scaliger post multam sollicitudinem novas aedes, sed angustiores, invenit, nec sine molestia in transportandis libris commigravit. In eadem domo mortuus est. Natura coeli et telluris Scaligero non arridebat. Nunc sentiebat tantum calorem, quantum in Francia et Italia nunquam senserat, compositum scilicet atque commixtum ingrato humore: nunc acerrimum frigus, quale v. c. anno 1608 magnos fluvios et Sinum Austrinum glacie durabat, neque Kalendis Maiis plane discesserat. Artem glaciei ferrato cothurno crispandae ad hyemem oblectandam non tenebat. Et ubi didicisset? Quamquam in Hollandia iam tum haberetur honestissima, et Dousa senex didicerit, ut postea Constantinus Hugenius et alii principes in republica viri. Neque Scaliger ignem Hollandum, e cespitibus incensum, amabat, ligno assuetus. Quum primum amicis ad focum sedentibus intererat, pallorem in omnium vultibus notabat, et ne iis male esset, metuebat. Illi hoc ex bitumine et sulphure cespitum fieri interpretabantur. Leidam interdum vocabat paludem in

---

Novas aedes... angustiores) Vid. Scaligeri Epist. ad Casaubonum a. 1607, p. 330 et 332. ubi eas *gurgustiolum* vocat.

mediis paludibus, agrum sterilem, multos nescire quid esset arare et aratrum. Similia dicta ei ex ore excidebant, quando alia videbat a moribus et consuetudine Franca abhorrentia et quae novitatc percellerent.

Hollandi, dicebat, sunt cunctatores et attenti ad rem. In mercatura pater a filio emit, cumque eo paciscitur. Tardi in exercenda iustitia. Omnia licent, modo ne quid contra civitatem fiat. Nobilitas non multum valet. Rustici et rusticae, ancillae, me Hercle, fere omnes norunt legere et scribere. Viri ludos literarios habent. Uno die pecuniam dilapidant, cui quaerendae sex dies insudarunt. Si quis videret aliquem sicco pane et aqua utentem, prodigium putaret. Lavant pavimenta magis quam ora et manus; in cibis quoque parandis sordidi. Abusus butyri et piscium salitorum favet leprae: quamquam princeps Mauritius apud eum contenderet in Hollandia non esse leprosos. Dormiunt in plumis. Vicino vicinum impune turbare licet. Sui vicini sacris diebus cantabant et gestiebant, nec poterat impedire. A summo mane potabant. Canes latrantes ei somnum excutiebant.

Haec et alia tamen consuetudo faciebat leviora, seque ad vitam Hollandam citius accommodavit, quam pro Franco illius aetatis, generis, doctrinae et gloriae. Et vero ea incommoda multis bonis compensabantur, quae grato animo agnovit.

In Francia propter tempora et odium inimicorum saepe rerum suarum sedem mutabat; deinde vivebat tutus et honoratus. In hunc terrarum angulum bonae literae, alibi fusae fugataeque, portum invenerant. De humanissima gente, dicebat, non est quod querar. Hominum comitas facit, ne in tractibus horridioribus ullam amoenitatem mei Garumnae desiderem. Hollandiam, ubi mihi tam bene est,

matrem, Aquitaniam, de me pessime meritam, novercam habebo. Hunc amabilem secessum cogitans, hoc otium et vitam innocentissimam, sortem Lipsii dolebat, qui Hollandiae Brabantiam, Leidae Lovanium praeferre potuisset.

Scaliger Leidam vocatus est, non ut scholas haberet, sed praesentia tantum sua Academiae ornamentum adderet, et, quae parata habebat, in lucem ederet, aut pararet in lucem edenda: reditus et honores superabant: Professorum quasi Princeps adspiciebatur. Dominicus Baudius orationem quamdam ita exorsus est, ut primum salutaret Rectorem Magnificum, tum Iosephum Scaligerum, post hunc generosos Barones, denique Professores et Academiae alumnos. Videmus locum Scaligeri. Nam Rectori Magnifico in rebus Academicis vel Principes Arausionenses cedebant. Nobilitati autem, quae et peregre huc multa ventitabat, maior quam postea, honos habebatur. Et ipse Scaliger maiestatem Academicam magni faciebat, laudabatque Leidae sic esse institutum, ut Principes quoque respondentes (Doctorandos vocamus) in cathedra inferiore et nudo capite starent.

Nec vero in aliis vitae negotiis minus significatum est, quanti Scaligerum facerent. Ne dicam Ordines ipsi dedisse privilegium vini, sicuti dederant Mauritio et genti Nassavicae, epistolas regum et principum Orientalium Mauritio et Ordinibus scriptas interpretabatur, de rebus gravissimis publice consulebatur, ut aliquando de declinatione acus magneticae; et quoties Hagam Comitum veniebat, visens amicum Buzenvallum, legatum Henrici IV, et salutans

Non ut scholas haberet, sed praesentia tantum sua cet.) Ipse de ea re saepe scripsit. Et Baudius Epist. a. 1593, p. 56: „Mille aureos solares (circiter bis mille florenos) annuatim ei (Scaligero) decreverunt, nec aliud quidquam ab eo exigunt, nisi ut congressu conspectuque suo celebritatem Academiae conciliet." — Haud dissimili consilio postea vocatus est Claudius Salmasius.

Mauritium, Mauritius eum ad coenam adhibebat, et cum sedente ad suum latus multa familiariter colloquebatur. Iam amicissimus Iani Dousae, et principum in republica virorum, multum ad creandos Professores valebat, in qua re unice laudem Academiae spectabat, et ambitionem familiarum iniqnissime ferebat. Sed qui literas amabant, et de doctrinis iudicare poterant, hi Scaligerum sancta propemodum veneratione prosequebantur. Adolescentes discendi cupidos, quorum multitudinem in Hollandia esse ingentem laetabatur, Dousas, Heinsium, Rutgersium, Cunaeum, Grotium, alios, amice excipiebat. Neque illi tantum Scaligeram domum, quasi oraculum quoddam, celebrabant, sed viri etiam et senes et quicunque aliquid scire vellent. His adde peregrinos ex omnibus Europae partibus, rarum sine epistola diem, et intelligemus nullam in urbe domum maius urbi fuisse ornamentum, quam Scaligeram. Neque vero tantus vir frustra habebatur. Quidquid consuleretur, vel statim vel brevi post respondebat. Quod ut facere posset, consecutus erat diligentia et omnium disciplinarum studio. Eam habebat memoriam ut v. c. octoginta disticha, semel lecta, statim memoriter recitaret. Omnes linguas sine Grammatica et Lexico discebat, Analogiae vocabulorum

---

Multum ad creandos Professores valebat) Ipse gloriabatur sua potissimum commendatione creatos fuisse Heinsium, Baudium, Trelcatium, Vorstium. Buxtorfium quoque voluit: v. Epist. Cunaei p. 141, 148. Dousam libere interdum monebat, Epist. p. 131.

Hi Scaligerum sancta . . . veneratione prosequebantur) Qui nimio saepe studio utebantur in omnibus edendis, quae erant Scaligeri.

Alios) Ger. Io. Vossius Leidam venit a. 1595, ut Theologiam disceret, receptus in Collegium Theologicum. Cur Scaligerum non coluerit, causam attulit Herm. Tollius Orat. de Vossio perfecto Grammat. p. 50. De Crane, Or. laud. p. 11 minus recte dicit „cur Vossius Scaligerum *non audiverit*." Scaliger, ut vidimus, non habebat scholas. Scaliger unum modo Vossii librum, *Institutiones oratorias*, vidit, editum a. 1605, eumque valde laudavit. Reliqua Vossius edidit mortuo iam Scaligero.

ultro se ei offerebant: rationem et regulas, ubi aliquantum processerat, sibi ipse informabat. Magnam igitur vitae partem, quam alii discendis linguis impendunt, Scaliger etiam rebus impendere potuit. Iam nihil erat, quod diligentiam illius impediret. Corpore et oculis adeo valebat, ut totos dies et noctes animum impune posset intendere, nec perspicillis uti cogeretur. Uxorem non duxerat, quamquam non alienus, ut videtur, ab elegantia quadam, ut Francus scilicet. Hanc elegantiam nobilis quaedam virgo Delphensis pro iniuria accepit, cui vinum Burdigalense propinasset. Tunc enim feminis nostris inhonestum existimabatur gustare vinum rubri coloris. Et suaviter ridebat Iosephus, quum Heinsius ad nuptias Grotii in Zelandia celebrandas iret, metuens, ne, qui liber abiisset, grata compede vinctus rediret.

Multum temporis postulabant Epistolae. Harum usus et necessitas olim longe maior quam hodie in tanta librorum copia eorumque edendorum celeri facilitate. In epistolis argumenta difficillima tractabantur; eaeque saepe bis erant iterandae propter bella et viarum difficultates. Industria Scaligeri et huic labori suffecit, et alteri magis etiam molesto. Tantam enim sua manu copiam scriptorum perfecit, ut qui viderit, vix oculis suis credat. Atque hanc ille vitam iucunde tolerabat, ardens incredibili cupiditate omnis doctrinae et percipiendae et propagandae. Huius doctrinae non unam praecipuam sumebat partem, sed complectebatur cunctas. Quidquid in lucem esset edîtum, tenebat. Quaerebat inedita. Nemo hinc peregre proficiscebatur, cui non aliquid in Bibliothecis investigan-

---

Tantam sua manu copiam scriptorum perfecit) Nihil tam pulchre scribebat, quam Arabicum. Calamos scriptorios ipse corrigere nesciebat.

dum mandaret. Vix navis Hollanda ex Indiis in portus nostros appulerat, nemo citius Scaligero novas herbas, plantas, animalia cognoverat. Ubicunque latens aliquod deprehendisset ingenium, commendabat praefectis Academiae et Reipublicae. Exstat epistola, in qua Cornelio Mylio exposuit de inventore instrumenti, quo aqua ex agris opere expedito et sumtu exiguo posset exhauriri. Cuius rei utilitatem perspexerat quum ex lacubus et paludibus arva fieri fertilissima videret. Iudaeos et Turcas sibi conciliabat, ut Talmudem et Coranem melius intelligeret.

Scaliger tot ac tantas laudes multis ornavit virtutibus. Quae inimici vitio ei verterunt, ea maximam partem ex invidia ficta sunt. Statim postquam Leidam venit, Lipsius et alii per amicos observabant, quid faceret et diceret. Homo regum precibus tandem expugnatus, ne honorificentissimam conditionem Hollandam aspernaretur, suae sibi virtutis conscius, tum eo genere, denique Francus, et subito incalescentis ingenii, interdum aliquid faciebat et dicebat, quod in eo facillime excusari poterat, in aliis, si imitari vellent, minus. Caeterum natura et studio erat bonus, simplex, alios ex se metiens, quique omnia amicorum causa susciperet et toleraret, gloriamque et salutem novae

---

Exstat epistola, cet.) Anni 1604, Epist. p. 713.

Lipsius et alii per amicos observabant, cet.) Vid. Lipsii et Raphelengii fil. Epistolas a. 1595, in Sylloge Burmann. T. I. p. 208.

Omnia amicorum causa) Quantopere amicos diligeret, idque in rebus tam prosperis quam adversis, documento sunt sequentia. Anno 1598 Lipsio scripsit Carolus Clusius in Sylloge Burman. T. I. p. 329:

„Ios. Scaligeri conviva heri fui, qui epulum praebuit Iano Dousae et omnibus eius liberis ob reditum Georgii ipsius filii, qui recens Constantinopoli rediit, allatis aliquot veteribus Graecis codicibus, et epistola Patriarchae Constantinopolitani ad patrem. Hodie apud Bonav. Vulcanium omnes prandebimus."

In funere Iani Dousae filii, suum ipse, si habuisset, magis deflere non potuisset. Testantur quae scripsit ad Io. a Wouwer, Epist. p. 722:

„Ego quidem bene valeo: sed omnes studiorum meorum rationes acerbissimus

patriae haberet carissimam. Religionem et pietatem mente coluit, quod et in epistolis saepe testatus es moriens confirmavit. Quantum in eo amissum puta Leidenses, moerore funeris indicaverunt. D. Heinsius, Epistolam de Scaligero ad Casaubonum semper sum a ratus et semper admirabor, amicum defunctum stat funere laudavit, et ipse gravissime commotus lacr auditoribus expressit. Postridie D. Baudius idem in m hominum frequentia fecit.

Sepultus est in aede Sanctae Mariae dicata, iuxta sellia, unde conciones Wallonicas audiebat. Huius hodie nudi tantum stant parietes, et ossa Scaliger Sancti Petri sunt translata. Ista nimirum sors est et ditio rerum. Templa aedificantur et vetustate coll corruunt. Homines nascuntur et decedunt. Quidquid a

---

Iani Dousae iunioris casus conturbavit; quo adeo consternatus sum, ut q infelicis ephebi vicem considero, pueriliter in lachrymas erumpam. Decessit tabidus. Quamvis non firmam valetudinem saepe in eo deprehenderim, tamen peregrinatione Germanica fata eius accelerata puto. Non enim patiens laborum neque virium militarium erat. — Dies, quo haec scribebam, octavus ab exequiis illius erat."

Similiterque in epist ad Lindenbrog. p. 459, 60:

„Ego hic in magno luctu propter immaturum Dousae iunioris obitum nunc sum. Quam alte mihi insederit hoc vulnus, vultu melius expresserim quam scriptis. Valde casus iste meorum studiorum conturbavit rationes: neque ullum pene sine aliqua huius iacturae memoria momentum praeterit."

Pietatem et religionem ... saepe testatus est, cet.) Postremis vitae annis saepe erat tristis, testamentnm fecit, mutavit. Mortem non timebat. Sepuleri honores contemsit. Religionem eorum irrisit, qui nolebant alios secum in eodem sepulcro condi. — Mortuus est 21 Jan. 1609 hora 4 matutina. Sepultus 25. die Dominico post horam 2 a meridie. Invitavit Baudius Curatores A. van Mathenes et Corn. van der Myle. Baud. Epist. p. 286 et 287. — Gens Scaligera in Iosepho est exstincta.

Ossa Scaligeri) Rectius Monumentum sive Inscriptio sepulcralis. Videatur: Berigt over de verplaatsinge van de Grafschriften der Leydsche Hoogleeraren Scaliger en Clusius: Algem. Konst- en Letterb. 1819. Dl. II, bl. 211—213. Levens-Berigt vau 1. W. te Water, door hem zelven vervaardigd en door deszelfs Erfgenamen in het licht gegeven (1822, niet in den handel); bl. 268—272.

in hominibus praeclarum et magnum exstitit, manet perpetuoque mansurum est.

Et dubitemus, generosi adolescentes, has posteritatis laudes moribus nostris et diligentia mereri?

Leidae dubitare poterit aut debebit nemo: Leidae, inquam, ubi maiores nostri, viri immortales, quasi de sepulcris suis illud nobis quotidie in aures insusurrant:

Stat sua cuique dies: breve et irreparabile tempus
Omnibus est vitae; sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus.

Stat sua cuique dies, cet.) Virgil. Aen. X. 467 sq.

ORATIO

DE

PERPETUA, QUAE ACADEMIAE LEIDENSI CUM GENTE ARAUSIACA INTERCESSIT, NECESSITUDINE, SPECTATA PRAECIPUE IN STUDIIS PRINCIPUM:

HABITA LEIDAE A. D. VIII FEBRUARII MENSIS A. MDCCCXXXIX
QUO DIE MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPOSUIT.

Quotiescunque octavo die mensis Februarii stantem in hoc suggestu oratorem ex subsellio suspiciebam, multis ei nominibus pulchrum ac prope invidendum munus obtigisse arbitrabar. Nunc, quum meum mihi tempus idem munus attulit, si incolumi fama possem, lubens me hinc in veterem locum reciperem. Neque hic est metus quidam vester, neque isti in me unum conversi vultus me adeo perturbant. Nam, quacunque oculos circumtuli, omnia video benevola et amica: neque vos, Academiae Leidensis Curatores virique amplissimi, fere magis ob merita et honores admiror, quam ob antiquam et vere Hollandam animorum ingenuitatem diligo. Vos autem, Clarissimi Professores caeterique auditores venerandi et eruditi, quum contueor, insignis quidem doctrinae, sed in eadem doctrina elucentis simul humanitatis contueor specimina: atque haec mihi iam sane

secunda, vestra, optimi adolescentes, caritate, vitae illa meae rerumque omnium ornamento, mire firmantur.

A vobis igitur, auditores eximii, periculum accidere non potest, ne magnopere commovear. Sed me ipsum respicienti haud aeque fiducia consistit, et orationis initium invenire interdum despero. Si argumentum e disciplina nostra petitum explicare potuissem, nihil cunctatus propositum exordirer. Sed hic ipse dies et causa cur in hanc aedem convenerimus, praeoccupatas omnes cogitationes meas revocat et defigit in unam Academiam. Haeret illa huic pectori insculpta imago, et ante oculos versatur meos quasi Dea quaedam magnorum virorum prole felix,

qualis Berecynthia mater,
Laeta Deûm partu, centum complexa nepotes,
Omnes coelicolas, omnes supera alta tenentes.

Haud equidem optare possum, ut, quod nunc ita sentio, sentiatis idem omnes, neque committam, ut in praedicanda Academiae laude ac dignitate molestam vobis orationem obtrudam: et tamen aut meus me amor iste fallit, aut relictus mihi est ad dicendum locus, cum ipsa illa laude et dignitate coniunctus. Quid enim? Guilielmus I Arausiae Princeps, Academiam Leidensem condidit. Academiae cum stirpe Guilielmi honorifica semper et pia necessitudo intercessit, spectata praecipue in studiis Principum Arausiacorum. De hac igitur necessitudine exponentem faciles quaeso et clementes auditote. Eloquentiam enim vobis neque polliceor, neque oratoriam capit argumentum: versabimur quippe in vita puerorum et adolescentium, sed eorum tamen, quos deinde gloria ad coelum extulit plerosque, et

---

Qualis Berecynthia mater) Virgil. Aen. VI. 785, 87, 88.

cuncta adspectavit Europa: adeo ut, si interdum res parvas et mediocres narrare videar, prudentiores sub illis aliquam et reminiscendi utilitatem et cogitandi causam sint reperturi.

Atque omnium primum sapientia Guilielmi I est commemoranda, cuius ego viri gloriae haud magis addam laudando, quam nuper calumniatores quidam detraxerunt vituperando. Sapientiae immortale testimonium est Academia, condita iis auspiciis, ea in urbe, eo tempore, ea celeritate, ut tamquam libertatis praesidium divinitus e coelo delapsa esse videatur. Lovanii et Duaci omnis disciplina alio fundamento nitebatur. Adolescentes nempe Pontifici Romano et regi Hispaniae parere assuescebant, quum praesertim dux Albanus typographiam ferreis vinculis coërcuisset, quae, hic a Guilielmo fracta, Napoleon nostra memoria recudit. Leidae nova formabatur aetas, sincera et integra a more Hispano, quae focos amare paternos animosque gerere Hollandos disceret.

Guilielmus Leidam missis quam primum filiis, illustri exemplo monstravit, quanti ad laudem suorum et bonum publicum interesse putaret, ut mature iis erudirentur disciplinis, quae tyrannidem a civitatibus defendunt, dum interea saepe dolebat sortem Philippi sui, quem, Lovanii

---

Auspiciis) Ed. pr. *institutis*, quo nomine in Annot. significantur *Leges et Statuta*, quae dicuntur, Academica, prudenter et liberaliter composita.

Ea in urbe) Ed. pr. *in ea urbe*. Respicitur misera urbis, modo obsidione liberatae. conditio. Conf. supra p. 68.

Ea celeritate) Consilium die 28 Decembr. a. 1574 a Guilielmo captum, die 4 Januarii 1575 per Ordines effecit, iamque die 8 Februarii Academia erat.

Tamquam libertatis praesidium) Ed. pr. *libertatis tamquam praesidium*. Conf. Viri Cl. Matthiae de Vries Oratio de Academia Lugduno-Batava libertatis praesidio, habita d. 9 Februarii, 1874.

Integra a more) Id est, *aliena a more, expers moris*. Ed. pr. absque praepositione, *more*.

indignis Nassavio opinionibus imbutum infectumque, Hispani deinde in Academia Complutensi et honorata illa custodia Madritana ita corruperunt, ut Hollandiae iam adolescens perierit. Hoc pater cavit in Iustino et Mauritio.

Iustinus Nassavius erat Guilielmi filius, nothus quidem, sed consuetudo, si non conscientiam, at famam Principum in huiusmodi rebus solabatur: exempla erant pro iure, neque filii propterea contemti. Margarita Parmensis et Ioannes Austriacus ipsi proles erant Caroli V spuria. Academia nostra a parvis admodum initiis crevit. Numerus adolescentium primo anno a Rectore Magnifico, Petreio Tiara, Frisio, in Album relatus, erant duo, unus Delphis, alter Harlemo; anno sequenti, quatuordecim. In his nomina illustria, Ianus Grotius, pater deinde magni Hugonis, Iacobus Philippi Marnixii Aldegundii filius, et hic Iustinus Nassavius. Ioannes Stadius, Mathematicus, Gandavi ex observatione siderum praedixerat, hoc eum fato esse natum, ut ingenii dotes habiturus esset abstrusas, nec, nisi cogeretur, animum ad literas applicaturus. Verusne fuerit Stadius, et quid a quibus didicerit Iustinus, non inveni. Postea quidem res terra marique gessit haud sane contemnendas.

De fratre Mauritio plura accepi. Hic qualem se vultu atque oculis ferebat, qui de effigie sibi proponunt, multum in eo fuisse iudicii, sagacitatis et constantiae facile credant. Sic erat. Iam puer Heidelbergae studiorum causa moratus, a. 1582 Leidam venit, annos habens quindecim, exi-

---

Iustinus Nassavius) Natus a. 1559, ab a. 1576—1579 Academiae alumnus, praeceptore usus domestico Remberto Horraeo. Vitam eius, Peerlkampii quoque mentione facta, vernaculo sermone conscripsit E. B. Swalue: Iustinus van Nassau, meest naar onuitgegeven stukken, met pl. Amsterdam, 1858.

A. 1582 Leidam venit) Patris Guilielmi epistola commendatus, quae cum responso Senatus Academici exstat in Annot. — Albo inscriptus d. 19 Aprilis 1583.

mia Guilielmi patris epistola Rectori caeterisque Professoribus commendatus. Afferebat praeclaras ingenii facultates et eam laboris assiduitatem, sine qua nunquam quisquam excelluit. Suam quoque, ut mos erat, habebat sententiam, animi et consilii significationem, ex quibus sententiis saepe omnis vita talium hominum cognoscitur. Habebat autem: *Tandem fit surculus arbor*. Multi, credo, in simili fortuna, spe et aetate, se iam arbores esse putassent. Deus, qui Hollandiam aequis adspiciebat oculis, Mauritium nasci voluit mathematicum. Mauritius, intelligens imperatorias artes praecipuum fore vitae ornamentum reique Hollandae praesidium, omnem studiorum rationem ad eas pernoscendas statim accommodavit. Itaque in mathematicis audivit Rudolphum Snellium, eoque praeceptore tantum profecit, ut discendo neque tum neque postea unquam satiari potuerit, et, iam summos in civitate honores adeptus, studia illa deinceps cum Simone Stevino continuaverit, cuius adeo industriae illustria exstant literis consignata monumenta. Atque huius Stevini gloriae non plus adiici posse censebat Grotius, quam quod Mauritio esset a studiis, Mauritium vero eximie laudat cum ob insignem in hoc genere doctrinam, tum opinionem, mathematica literis Hollandis optime posse explicari: in qua re tamen Mauritius sententiam Stevini secutus est, factumque postea eiusdem Principis auctoritate, ut arithmetica et geometria hic docerentur sermone vernaculo, quo melius etiam architectis militaribus consuleretur.

Caeterum Mauritius Latine non nesciebat, neque mos

Latine non nesciebat) Mauritii duae epistolae Latinae a. 1587 et 1588, Lipsium Rectorem nominandi et continuandi causa, editae leguntur in Annot.

In qua re) Ed. pr. *in qua*.

saeculi patiebatur. Quos autem praeter Snellium magistros ceperit, non inveni, nisi Lipsium, cui in suavissima epistola gratias egit. In Lipsio multa spectabantur, quae Mauritium in familiaritatem traherent; iucunda morum gravitas, et severa quaedam ac prope militari brevitate eloquentia: idem explicabat C. Tacitum, et, quod rei caput erat, de castris metandis, de poliorcetica deque omni re militari Romana tam docte et perspicue exponebat, ut adolescens non Leidensem Professorem, sed Imperatorem Romanae legionis, militiae veterem, sibi audire videretur. Lipsius Militiam Romanam deinde edidit. Mauritius libro et in castris delectabatur, et milites saepe ad eam formam exercebat. Hagae quoque, cessante bello, Romanum in morem pugnare docuit. Talis proelii ludicrum simulacrum ab amico aliquo cognoscens Lipsius, rescripsit, se isto Mauritii sensu in militia gaudere, bonumque periculum, paullo tamen aliter fuisse instituendum dux ille togatus arbitrabatur.

Ita Leidensis Academia statim Guilielmo auctori hanc retulit gratiam, ut filius earum artium alta iaceret fundamenta, quibus, veluti Iphicratis et Archimedis renovans exempla, patriae multum prodesse posset. Iamque biennium fere hic degerat, quum legati Ordinum Hollandiae, paternae mortis nuntium afferentes, eum Delphos deduxerunt, retinueruntque, ut sua ipsis opera adesset. Mauritius, quod praesens facere non poterat, absens in epistola, amorem et beneficia Professorum grato animo collaudavit, pollicitus rerum istarum memoriam sancte se esse servaturum.

Alta) Ed: pr. *hic*.

Prodesse posset) Ed. pr. *profuit*.

Absens in epistola) Anni 1584 mense Septembri, una cum Senatus Academici responso, eiusdem ut videtur temporis, exhibita in Annot.

Atque huic orationi facta convenerunt, pietatemque auxit publicae liberalitatis recordatio. Mauritio scilicet, in illa sua et Guilielmi paupertate, pecuniam, qua in Academia aleretur, petenti, Ordines et decrevere idoneam, et aes alienum, quod reliquerat, solverunt. Narravi sic, uti accidit: non veritus ne minus urbane fecisse arguar. Paupertas enim paterna nunquam filio fuit ignominiosa, ubi praesertim pater suas opes saluti publicae impendit. Admiror magis rudem illam et in rogando libertatem et in dando bonitatem: dumque me a conspectu novae elegantiae, artem quoque in beneficio ostendentis, ad prisca tempora converto, facere interdum non possum, quin tacite dicam:

O mihi simplicitas illa paterna redi!

Sed si istam Mauritii paupertatem honoris causa memoravi, minus, nam dicendum est, laudo, quod, postquam fieri coeperat pecuniosus, et rationem Ephemeridis redigendae Italicam a Stevino didicerat, eam rationem diligentius exercuit, quam Principi erat decorum. Ordines quidem suae munificentiae non poenituit. Nam quum in funere Guilielmi I tota quasi patria efferri videretur, luctus solatium et spes futuri habebatur, quod adolescentem prae virtutis indole in gradu paternae dignitatis collocare poterant.

Initio eiusdem anni, quo fere medio rex Philippus, in Escuriale abditus, manu sicarii triste facinus Delphis patravit, Delphis natus erat Henricus Fredericus. Mater Colignia, referens laudatas exempli Romani matronas, quae liberos suas sibi munditias et ornatus ducebant, filium ipsa educabat, adiuta ab Utenbogardo. Quod puer ex materno

---

Poterant) Ed. pr. *potuerunt*.

genere traxit, elegantiam dico illam et levitatem, in Franco, quia nativae sunt, minus indecoras, Hollando, qui affectat, deridiculas, hoc in Henrico, iam sanguine paterno temperatum, mature ad dignam Nassavio gravitatem componebatur. Mater infelix, coniuge iterum orbata, in Franciam redire voluisset, sed sine filio vivere non poterat. Itaque rex Henricus IV Mauritio lepidas, ut solebat, scripsit literas: venirent Colignia et Henricus in Franciam, habitarent Arausione, se facturum ut Mauritius fratrem egregie educatum ante annum aetatis duodecimum reciperet. Mauritius, qui consiliis et auctoritate fratri pro patre erat, eumque habebat, ut si esset filius, aliter ea de re sensit, et Henricus periculum evasit, ne, alienis moribus delenitus, minus aliquando a popularibus, quam dignus esset, amaretur. Nam maiores nostri Principes oderant, quos Hollandi nominis atque animi puderet, et Guilielmus II infamatus est, quod aliquando assiduus erat inter adulatores aleatoresque Francos.

Henricus igitur educatus est in Hollandia, Coligniaeque et Utenbogardo accessit tertius, ingens, puto, ad mentem pueri recte formandam, momentum. Scilicet Leidae vivebat adolescens viginti trium annorum, sed doctrinae virilis, probitate et modestia adeo elucens, ut nescias, utrum sui eum aequales suspicerent magis an amarent, natus insuper patre tam erudito et rerum prudente, quam forti et generoso. Hic, Ianus Dousa minor, ita spectatus, studiis Nassavii praeficitur. Praefuit biennium, degens Hagae Comitum in domo Coligniae, carus omnibus, ante omnes matri et filio. Quid amabilis puer ab adolescente tam amabili didicerit, relatum non legi: equidem lubens, si fieri posset, aliis redimerem, quae memoriae prodita videmus. Franci mirentur Henricum verbi causa, quum aliquando

Parisiis erat, artem equitandi exercuisse in Academia Pluvinelli (nos huiusmodi Academias Hippodromos appellamus) et exercuisse tanta quidem cum gratia, ut omnium mortalium animos caperet. Tales minutiae non ostendunt, quid natura puerorum praemoneat.

Dousa accurate tenebat linguam Latinam, historias et mathematica, et qui sic teneret, amabat. Henricum, opinor, Latine docuit. Nam et ille eo sermone postea multum delectabatur, eruditos diligebat, horas quotidie negotiis ad studia decerpebat, et Commentarios Caesaris in sinu gestabat. Mathematica, frater Mauritii et officia ducis praecipiens, negligere non potuit. Historiae cognoscendae cupiditate ducimur omnes pueri: quid puer Arausiaca stirpe Guilielmo patre, magistro Dousa, cuius et ipsius pater rerum pars fuerat? Bene profecto paratus Henricus Fredericus Leidam venit a. 1594, aetatis fere undecimo. Delatum in Academiam discipulum Dousa pulchro carmine salutavit, eodemque anno iter in Germaniam fecit. Tum Dousa maior Henricum erudiendum curavit, nec corporis exercitia neglexit. Emti doctique ab Hispano nebulones eum, in tali ludo separatum a commilitonibus nacti, conficere sperabant. Deus avertit scelus, prehensique, antequam Leidam venissent, dignum consiliis vitae exitum habuerunt. Interea et Colignia domicilium Leidae constituit. Habitarunt, ni fallor, in domo, quae tunc Aula Principum appellabatur. Sententiam sibi legerat: *Patriaeque patrique:* paternam, credo, mortem, defendenda

---

Academia Pluvinelli) Cognita ex opere Gallico: *l'Instruction du Roy en l'exercice de monter à Cheval, par Messire Antoine de Pluvinel.*

Negotiis ad studia) Ed. pr. *studiis.*

Commentarios Caesaris in sinu) Ed. pr. *secumque in sinu Comm. Caes.*

Cuius et ipsius) Ed. pr. *cuius ipsius.*

Defendenda) Ed. pr. *defensa.*

patriae libertate, ulcisci volebat. Ardens tantae laudis cupiditate iam puer, ab ineunte aetate constanter ad eam grassabatur. Neque est, quod ingenii maturitatem in his Nassaviis miremur. Ipsa enim tempora animorum facultates movebant. Nati educatique in bellis et ad spem magnorum in republica honorum, stimulati exemplo et dolore domestico et odio ab Hispanis implacabili, omnia properabant, neque virtus progressum aetatis exspectare poterat. Vigor quidam Martius omnium fere Hollandorum animos occupaverat: ipsi adeo historici de initiis Mauritii et Henrici parum ad rei necessitatem dixere, festinantes nimirum ad dies Neoportanos et Silvaducenses; nec, quae adhuc exposui, sine cura undique quaesita ordinavi. Apparet tamen quam amicitiam habuerimus cum duobus Principibus, iis, qui Hollandum nomen magnum ac terribile fecerunt.

Utinam ne Ordines, Henricum in filio remunerantes, modum excessissent! Henricus genuit filium, a. 1626 ingenti Neerlandorum laetitia natum. Si patrem potestate augere potuissent, qua postea auctus est Guilielmus IV, quis novit quam multa aliter incidissent, atque nunc inciderunt! Nam Henricus amore civium partaque ex eo auctoritate plurimum valebat, et si cuiquam, illi datum erat ut discordias, nondum tam altis radicibus, ab stirpe evelleret. Sed iidem Ordines infantem Guilielmum II aureis donis cumulabant, puerumque, vix e cunis egressum, omni equitatui praeficiebant, destinabantque, si patri superesset, munerum haeredem. Talia beneficia, tam effusa et properata, paucis sane adolescentibus non spiritus et animos addidissent, quid illi, qui pulchram corporis formam magnis

Festinantes) Ed. pr. *properantes*.
Paucis) Ed. pr. *raris*.

ingenii dotibus, et stirpem Arausiacam matrimonio regiae virginis decorabat? Atque Ordines, quasi intemperantiam munificentiae sentirent, et mercedem postularent, plus apud parentes de educando filio loquebantur, quam ipsi in simili causa aequo animo tulissent, non unus fortasse patricia illa gravitate responsurus, secum fore istum laborem.

Guilielmus II in Academia versatus non est, sed ex ea praeceptorem accepit, Theologum magna fama et doctrina, Andream Rivetum, quem, si ex oratione, qua munus olim adierat, *de bono pacis et concordiae in Ecclesia*, iudicares, moderatum diceres. Sed Theologi isti, variarum partium, pacem plerumque volebant in leges, quas ipsi praescriberent. Rivetus erat Pictaviensis, et multorum hominum urbes et mores, principum quoque, viderat, inque amicitiam Ameliae Solmensis pervenerat. Praeterea ipsa, quam profitebatur, doctrina eum commendabat. Nam religio et libertas adeo inter se erant consociatae et mixtae, ut separari non possent, eiusque tam vetus quam mutata forma partium haberetur praesidium. Henricus Rivetum Hagam vocavit. Guilielmum II instituere coepit a. 1632, mansitque, si vere coniicio, Hagae usque ad annum 1646, quo Henricus ei curam Scholae illustris Bredanae commisit, eamque ille Scholam oratione inauguratus est. Guilielmus praeter Rivetum praeceptorem habuit Hildersichium, a quo linguas, Latinam inprimis, aliasque doctrinas didicit; hominem eruditum, quod vel ex notitia, quae inter eum et N. Heinsium et I. F. Gronovium fuit, opinor. Gronovius eodem tempore Hagae habitabat, erantque vicini et convictores. Guilielmus Hildersichium, quamquam natione

Opinor) Ed. pr. *suspicor*.

Germanum, deinde in eum amicitiae gradum accepit, ut ad manum scribae loco et intimum consiliis habuerit.

Quantum praeceptores in Principe disciplinis instruendo valuerint ac profecerint, inde apparuit, quod multas teneret linguas, neque imperitus esset historiae, poesios, mathematiccs, et philosophiae Cartesianae. Caeterum res factu haud facilis, bellicum temperare ardorem in eo, qui a natura habebat, et patre volente, aliis imprudenter laudantibus, aluerat. Quum Hagae parvulus Guilielmus dux cohortis, ex filiolis nobilium aliorumque civium compositae incedebat, plausu excipiebant optimates, inque his fortasse, quos ille puer, adolescens factus in carcerem Lupesteinium coniecit. Adeo securi rerum futurarum non curamus saepe, quid ludi tenerae aetatis non dubiis indiciis significent. Deinde vix annos habens duodecim interfuit obsidioni Bredanae et patrem in quavis fere expeditione secutus est, adeo ut vix tempus in Academia morandi relinqueretur. Neque alia, puto, causa fuit, cur Henricus filium domi retinuerit. Nam ipse procul dubio rerum multarum recordabatur, quae in Academica illa sentiendi dicendique libertate semel visae atque auditae, in aula non facile repetebantur. Guilielmus II aetatem virilem non attigit; Gubernatorem se quidem aperuit minus moderatum, quam reipublicae, ubi iam omnis non instrenuus imperator suspectus est, opportunum videbatur. Guilielmus III calida illius consilia immeritus luit.

Et hic multa patris habebat, magnum rei militaris amorem, gloriae et imperandi cupidinem, nec facile de proposito deducebatur, aliaque inerant naturae semina, quae primum temporibus pressa atque retenta, sublatis deinde

Ex filiolis nobilium aliorumque civium) Ed. pr. *e filiolis nobilium civiumque*.

impedimentis, laetius effloruere. In illa tutorum multitudine et controversia, mox publica cura et velut tutela, bene tamen pueritiae et adolescentiae consultum, religioni ante omnia. Iam sexenni admotus Cornelius Triglandius, sacrarum literarum apud Haganos interpres, patruus Iacobi Triglandii, illius, qui mortuum Guilielmum oratione funebri in Academia nostra laudavit. Is Iacobo multa de pietate Guilielmi solebat narrare. Arma et equi iam puero cara. Ludere bellum, domi in mensa acies militum plumbeorum instruere, castra ex arena metari et arces munire, pleraque otii oblectamenta; regnumqne accipere visus est in duobus equis Mauritanis, quos Ordines, a Principe Salensi acceptos, ei donabant. Ordinibus ita gratias egit, ut diceret, se sperare brevi fore, ut his equis pro patria dimicans uteretur.

Anno 1659 mater eum Leidam mittere constituit. Magistratus Leidenses domum instructam obtulerunt, eandem, in qua Coligniam et Henricum habitasse arbitror. Comes additus, qui vitam regeret, Sulesteynius, studiorum cura Bornio, Philosophiae Professori, commissa. Bornii virtutes et laudes genti Arausiacae dudum innotuisse dicebantur. Ordines Hollandiae Principem Haga discedentem salutaverunt, huc advenientem salutavit Cocceius, Rector Magnificus. Paucis post diebus Antonius Thysius, tacito Professorum consensu, adventum in Academiam solemni oratione gratulatus est. Oppidani et adolescentes Academici Guilielmum ita exceperunt, ut in veneratione et laetitia simul misericordia quaedam appareret; nam unica spes tan-

In illa tutorum multitudine) Tutores non sine controversia dati, mater (Guilielmi II vidua), avia (Frederici Henrici uxor, Amelia Solmensis) et Elector. Accessit Ordinum publica cura et quasi tutela. Cf. Annot.

Domum instructam) Aulam Principum. Cf. supra p. 110.

tae domus supererat, et Ludovicus XIV eum brevi post Arausione spoliavit. Modestia autem et diligentia inprimis eluxit, scholas Professorum sedulo audiens, ad domos eorum ventitans, verbo, se totum iis dedidit, neque facile aliquod solemne Academicum eo non praesente celebrabatur.

Talis adolescens quam multa ad virtutem et prudentiam profecerit, licet e vita rebusque gestis intelligi possit, testatus est Fabricius, cui potius credo, quam Germanis, qui scripsere, Guilielmum ita fuisse eductum doctumque, ut, praeter militaria, nihil discere potuerit. Haud equidem contendo Principem fuisse eruditum, aut propter eruditionem in Academia Oxoniensi creatum Iuris Doctorem. Sed eadem Academia saepe alios creavit Doctores, quos Guilielmus, si res in iudicium venisset, adspicere contra potuisset. Neque eruditionem, qua otiosi homines censentur, in Principe laudamus, quae plerumque damno civium paretur, et vera in iis doctrinarum studia magis impediat, quam iuvet. Enimvero vita adolescentium, quibus generis nobilitas regna et imperia ostendit, saepe non est invidenda. Quidquid agant vel dicant, hoc alii pro suo quisque ingenio interpretantur: qui minime eos cognoscunt, hi tamquam omnia scientes gestiunt, et plurima per conventus et circulos vespertinos loquuntur. Nonnulli quoque ardeliones et odiosae humanitatis ostentatores, qui verba factaque omnia sua calamistris inurunt, ac propterea, unde non sperabant, refutati, invidiam a praelatis sibi praeceptoribus ad Principes transferunt. Vel excellentes viri quam

---

Arausione spoliavit) Reddidit tamen a. 1664, d. 19 Decembris. Quo pertinet scriptio Gallica: *Relation de se qui s'est passé au restablissement d'Orange, par Mons. de Chambrun.* Orange, 1666.

Fabricius) In Orat. saeculari Acad. a. 1725, p. 24. vid. Annot.

Tamquam omnia scientes) Ed. pr. *omnia se scire.*

difficiles ac morosi in hac causa apparuerunt! N. Heinsius se metuere dicebat, ne Bornius Guilielmum magno pretio nihil scire doceret. Vlietius facere non poterat, quin studia illius a. 1662 vocaret consummata *scilicet*. Gronovius Principem et totam cohortem iam post triennium secessus Leidensis taedere scribebat. Si iuvenis Arausiacus fieri debuisset Gronovius, ut emendatos a se Plautos et Livios ostenderet, triennium certe non sufficiebat: sed fieri debebat Guilielmus, qui Neerlandiae salutem, Britanniae libertatem redderet, et improbam Ludovici XIV tyrannidem, toti Europae intentatam, frangeret.

Guilielmus Academiae memoriam, neque Academia alumni unquam deposuit, fuitque tanquam officiorum et pietatis mutuum certamen. Magnos a. 1674 in republica honores consecutus, orationi interfuit, qua Heydanus iussu Senatus Academici ei gratulatus est. Nec praesentia desiderata, quo die Syenus primum Academiae saeculare festum celebrabat. Adeo vel inique non tulit vel dissimulavit suam Professorum commendationem apud Curatores parum valuisse: postea quidem ut in ea re aliquid valeret, effecit. Neque Academia Guilielmum neglexit, laetitiam oratione significans a. 1689 de acquisito Britanniae regno, et a. 1690 de victoria Hiberna, dolorem vero de morte uxoris Mariae a. 1695, ac tandem ipsius Guilielmi a. 1702. Biennio ante Guilielmus etiam ostendit, quanti studia Academica Principi putaret, quod Ioannem Guilielmum Frisonem, volentem quidem, hortando tamen magis impulit, ut literis naviter operam daret. Friso, ut facile est intellectu, Franequeram, deinde Ultraiectum petiit. Quod idem fecit filius Guilielmus Carolus Henricus Friso.

Magna et mirabilis fuit sors gentis Arausiacae. Ipse Deus Neerlandiae exoptavisse, et fata utriusque sic con-

iunxisse videtur, ut alteri sine alteris esse felices non potuerimus, et unaquaeque controversia ac dissidium amoris integratio exstiterint. Quam saepe a periculo prope abfuimus, ne stirps virilis exstingueretur! Qua cura Deus malum avertit, adeo ut nunc quidem omni metu liberati esse videamur! Mauritius uxorem non duxit. Henricus unicum filium reliquit, ut caeteri Gubernatores. Guilielmus III, Ioannes Guilielmus Friso, Guilielmus IV, et Guilielmus V suos patres vel vix cognoverunt, vel non viderunt. Quum Guilielmus IV a. 1747 Gubernator haereditarius totam rempublicam suo unius imperio complectebatur, boni et providentes Neerlandi vehementer laetabantur. Intelligebant enim veram libertatem non in eo sitam, ut alios suo loco moveas, et ipse succedas, neque latebat nullam esse Neerlandiae capitaliorem pestem, quam eos optimates, qui cuncta munera et honores sibi suisque trahendo rapiendo, cives exclusos spretosque exasperabant. Si Guilielmus, dicebant, consiliis iustorum hominum utitur, sublata erit mater discordiarum improbitas. Huius laetitiae ac spei candidum interpretem habuit Academia nostra Hemsterhusium, qui Guilielmo IV, Leidam visenti, ex hoc suggestu ita gratulatus est, ut Principe, ut Academia, ut ipso Hemsterhusio dignum erat. Et loquebatur ad discipulum olim suum, praeceptor Historiae Neerlandicae in Academia Franequerana, ubi Guilielmus vitam egerat, quae nobilitatem Frisiam pulchro inprimis exemplo pungeret. Et vero potestate, quantam sui maiores nunquam habuerant, se dignum ostendit, recusatis constanter eximiis honoribus, quos populus, favorum semper prodigus, eoque Principes corrumpens, in invitum congerebat. Nota est praeclara Nas-

---

Potestate .... se dignum) Ed. pr. *potestatem .... se meritum.*

sovii vox, summum, quod mortali posset contingere, esse hoc, ut a libero populo ametur. Neque ita loquebatur tantum, sed etiam faciebat. Vita, contra omnium vota, breviore functum, magnamque nobis commodandi voluntatem, hic laudavit Oudendorpius VII Februarii 1752.

Quanto moerore tota respublica funus Guilielmi IV erat secuta, tanta exspectatione eadem respiciebat Guilielmum V. Patrem habuerant cognitum, filius qualis esset futurus, multum ab educatione pendebat. Pars spei in matre Anna, praeclara femina regina, quales esse solent praeclarae ex Britannia feminae, pietate, gravitate et doctrina insignes; nec matre dimidiata, sed quae suo ipsa lacte infantem nutriverat. Quantam illa curam filiolo impertiverit, existimari potest et ex oratione funebri, ab Onnone Zuerio Hareno scripta, et quod Petro Wesselingio ipsa narravit, id se maximopere studere, ut Guilielmus tirocinia Latini sermonis in optimis scriptoribus poneret, et in Academiis iuventuti exemplum fieret diligentiae, civibus in republica specimen moderationis et comitatis emineret.

Talem videre filium matri non contigit, mortuae a. 1759. Dux Brunsvicensis tutor factus, pupillum non in Academia, sed Hagae erudiendum curavit. Quod quare fecerit, non comperi. Non una Academia dudum sinus panderat, totisque viribus vocaverat. Tanto sibi quaeque et tunc et antea honori ducebat in alumnis habere Principem Arausiacae gentis: dies ire gratiores et soles fulgere nitidius vulgo dicebant. Quae Academia alias et antiquitate et originis nobilitate et rerum magnarum memoria anteibat, ea Arausiacos eorumque affines accepit propemodum omnes.

Nec matre dimidiata, cet.) Favorinus apud Gellium, Noct. Attic. XII. 1. „Quod est hoc contra naturam imperfectum atque *dimidiatum* matris genus, peperisse, ac statim ab sese abiecisse?" Cf. Ann.

Guilielmus V eruditus est a Professore Leidensi, Andrea Weisio, qui Ius Naturae et gentium docebat. Erat ille quidem peregrinus, sed in republica natus, Helvetius, homo antiquis moribus, simplex, politus, ut inter Basileenses scilicet aut Hollandos, et qui fortunam aulae nunquam optaverat, nedum terendis potentium liminibus et Brunsvicensi per humiles salutationes fatigando, captaverat: dissimilis vilium animarum, qui, omnium rerum esse cupientes primi, felicitatem ab Haga Comitum unice habebant suspensam, Hagam somniabant, Hagam vigilantes respiciebant, fere ut Moslemi in quotidianis precibus ora ad templum Meccanum convertunt. Talis vir Weisius Guilielmum totos sex annos instituit.

Quot quantas res iuvenis cum eo aliisque praeceptoribus vel inchoavit vel continuatas absolvit! Religionis doctrinam, multas linguas, Mathematica, Architecturam militarem, Physica, Mechanica, Historiam, Geographiam, Iurisprudentiam. Quotus quisque vestrum est, amicissimi adolescentes, nam hic ego vos compello, quotus quisque vestrum est, qui ad hanc commemorationem, non dico, non horrescat, sed, si in eo loco fuisset, non aliquid detractum optasset? Erunt etiam qui haec, ut alicuius non privati studia, in maius aucta suspicentur. Audite, quid dicam. Guilielmus V has artes et disciplinas non modo utilitatis et ornamenti gratia coluit, sed etiam in nonnullas ita incubuit, ut ei, qui docere vellet, interdum similior videretur. Legit et excerpsit praecipuos aetatis Augustae scriptores, poetas fere tenebat memoriter, Unionem Ultraiectinam, legum nostrarum tunc fundamentum, annotationibus

---

Religionis doctrinam, multas linguas, cet.) Ed. pr. *Religionis doctrina, multae linguae,* cet. omnia casu nominativo.

illustravit, et in otio physica instrumenta, apparatum vere regium, libenter tractavit.

Talem discipulum Weisius habebat carissimum, qui eam industriam eximia quoque vitae integritate, ingenio, iudicio, et incredibili memoria, dote, ut videtur, Arausiacorum haereditaria, ornaret. Hoc et saepe amicis suis narravit et hic palam testatus est, praesente ipso Guilielmo V, cui a. 1766 explicabat, quam gratum esset Senatui Academico, quod in aetatem venisset, et honores Gubernatoris ipsi gerere liceret. Guilielmus tunc verbis, deinde rebus saepe indicavit, quam vere optaret, ut literarum artiumque studia et Academia Leidensis florerent: annoque 1775 audivit Gaubium, quum admiranda Divinae providentiae documenta, per duo saecula erga Academiam spectata, laudabat. Quod Gaubius tunc ardenter et Principem obtestans petiit, ut filios, si adolevissent, in disciplinam nostram mitteret, hoc non sine gravi causa, mihi tamen incognita, fecisse videtur.

Quam gavisus fuisset venerandus senex, si vidisset VIII diem Februarii a. 1790! Tewaterus Magistratu Academico se abdicabat, et in auditoribus conspiciebantur Guilielmus V cum utroque filio, quorum natu maior, Guilielmus Fredericus, Princeps Arausionis haereditarius, a. 1789 apud Rectorem Magnificum, in illius domo, suum nomen in Albo Academico erat professus. Arausiaci in educanda progenie curam posuerunt, quanta esse potuit maxima. Neque Guilielmus Fredericus nec frater Georgius amorem pietatemque parentum desideravere. Iam a. 1785 Hermannus Tollius, Literarum in Athenaeo Amstelodamensi Professor, a Gubernatore invitatus Hagam venit, concessa per Burgimagistros honestissimis conditionibus muneris abdicatione. Data est ei quaedam norma, quam sequeretur; ad-

ditique adiutores Guicheritus et Eulerus. Quales discipulos, diu cognitos, iudicaverit, declaravit, quum Lexicon Apollonii Sophistae Homericum iis dedicabat. Tollius Guilielmum Fredericum in Academiam secutus est. Quam varias disciplinas illustris adolescens vel hauserit vel attigerit; quae vita et mores, quis iusti honestique sensus fuerit, memoriae prodiderunt Tewaterus, Keesselius, et Kluitius, qui saepe non cum iuvene sed viro sermonem se habere existimabat.

Quum Tewaterus a. 1790, ut dixi, orationem habebat, adspiciens Gubernatorem septem regionum haereditarium, et sedentes ad latus paternum filios, intelligitis, quanta sedatum illud et altum pectus efferretur laetitia: non, quod tantam hinc sibi gloriam sumeret, quamquam potentium virorum laudem non adspernaretur, sed ita cogitabat, doctrinas tum maxime florere, si, qui populis praesunt, eas se aestimare sic prae se ferunt. Sed idem Tewaterus, pro incolumitate domus Arausiacae precatus, cogitare non potuit, brevi fore, ut duo ex illustribus auditoribus, iique in exsilio morerentur. Tristia, tristia intervenerunt. Nota nimis est historia, et antiqua vulnera linquemus intacta. Georgius prius quam pater e vita excessit, anno aetatis vigesimo quinto: qui si in sepulcro maiorum Delphensi conditus iaceret, quot lilia et purpureos flores plenis manibus accumularent omnes, qui alteram illam et dulcissimam spem patriae cognoverunt. Situs est procul a patria, Patavii. Quod possumus, nobilem animam hoc saltem munere ornabimus, ut tristi voce per hos Leidensis Academiae parietes testemur, priscae pietatis et fidei invictaeque bello dexterae memoriam nondum ex animis nostris esse

---

Prius quam pater e vita excessit) Ed. pr. *patrem praeivit.*

deletam. Pater filium secutus est septem annis post. Huius ego ignorati Principis casus, vel inimicis miserabiles, meminisse refugio. Quiescit Brunsvici, placida compositus pace, quam postremo vitae tempore non vidit.

Unus etiam ex tribus illis vivebat, extorris, spoliatus, desolatus, sed fata fortunamque Neerlandiae secum portans, in meliora tempora servatus et sepositus. Tempora venerunt, felicitatem vidimus ac sentimus. Antiqua necessitudo cum Academia statim instaurata est. Non enarrabo, quanta novus rex benevolentia eam, colluvione rerum barbara purgatam, sit prosecutus, quibus quam singularibus beneficiis auxerit. Brevi post reditum vidimus priscae opinionis ac voluntatis testem filium natu minorem Guilielmum Fredericum Carolum, qui tamen, vix inchoatis studiis, belli causa discedens, in Francia cum exercitu et commilitonibus Academicis pro patria nuper recuperata stetit. Sed de re summa iam populi decreverant, bona causa vicerat. Victoria tamen nobis quoque haud parvo emta, nec sanguis Arausiacus defuit. Deus Principem Arausiae et hic servavit, ut scilicet, quod tamen et ipse et omnes longe abesse precamur, patrem nobis aliquando reddat bonum, sapientem, iustum et constantem, regemque eum habeamus, qualem adhuc habuimus belli ducem, nascique interea possent nova stirpis germina, quae iam laete et in spem nostram crescere videmus.

Duos, Guilielmum Principem Arausiae haereditarium et Alexandrum Principem Neerlandiarum cognovi, quorum erudiendorum curam pater etiam mihi commiserit. Haud equidem diffiteor, non sine sollicitudine eam rem suscepi:

Colluvione rerum barbara) Ed. pr. *colluvione barbara.*
Victoria tamen nobis) Ed. pr. *Victoria nobis.*

non quod ipsi adolescentes tantum mihi timorem incuterent, quorum pater esse possem aetate, consiliis et praeceptis deberem; sed quoties muneris mihi crediti gravitatem et periculum animo mecum volutabam, verebar ut exspectationi, quam de me pater suscepisset, satisfacerem. Historiam recte docere semper mihi visum est opus difficile, quodque multas cautiones haberet, in hac praesertim sapientiae pragmaticae libidine et philosophiae cuiusdam insana venditatione. Nam, ut alia omnia praeteream, mortalium facta vere iudicare, inceptu pulchra et foeda ostendere, capere tibi tuisque, quod imitere, quis unquam ita ingressus est, ut viam semper tenuerit? Non loquor de hominibus, qui pro inconsiderata festinatione et temeritate, quam hodie tuentur sententiam, eam cras mutant, perendie aliam sequuntur; neque de iis loquor, qui levitati et temporibus inservientes, opinionem tam facile abiiciunt quam vestem, simul atque saeculum et lex elegantiae novam formam et colorem imperent. Sed quam multi semper doctrina, iudicio et probitate excellentes fuere viri, qui vel sibi ipsi non constarent, vel quorum auctoritatem laudati homines desererent, sicuti horum auctoritatem altera aetas rursus deseruit? Res omnino similis est tabulae isti, in aede Saturni olim dedicatae, cuius intellectum Cebes Thebanus tantum habere periculi dicebat, ut recte capientibus prudentiam et felicitatem, secus, stultitiam et calamitates afferret. Huius difficultatis, iam non exiguae, maior mihi apparebat imago, reputanti, quibus adolescentibus historiam essem traditurus: his nimirum, quorum maiores rebus gravissimis domi forisque interfuissent et qui ipsi, alter ad regnum, alter ad magnos in regno honores essent nati.

Deo iuvante, animum non demisi, sed sedulo feci, ne mihi et officio deessem, neque modesta in me libertas de-

sideraretur, aut non omne illud expromerem, quod bonum, verum et Neerlando dignum arbitrarer. Atque hunc mihi diuturnum laborem optimi iuvenes suis moribus reddiderunt levem et iucundum, neque tacere possum, quanti eos faciam ac diligam, si nihil aliud, vel propter ingentem iustitiae et bonitatis sensum, quem a natura acceptum, in meis quoque scholis auxerunt. Atque utinam ego ne male patriae et ipsis adolescentibus in omni hoc negotio consuluerim! Rectae quidem et ingenuae voluntatis egregia testis mea mihi semper erit conscientia, praemium pulcherrimum, quo neque maius neque illustrius ipse, si vellem, optare possim, et nemo quisquam omnium mortalium mihi tribuere possit.

Atque hi ex Arausiaca gente fuerunt ultimi, quos Academia Leidensis alumnos spectavit. Nemo ex omni numero,

---

Atque hi ex Arausiaca gente fuerunt ultimi, quos Academia Leidensis alumnos spectavit.) Guilielmus, inde ab anno 1849, nomine III praesens Neerlandiarum Rex, eiusque frater Alexander, maturo fato abreptus anno 1848. Sed praestat hic integram Peerlkampii annotationem apponere. Ea sic se habet:

Guilielmus Princeps Arausiae Haereditarius, nomen in Albo Academico, ut deinde frater, professus studia inchoavit mense Novembri a. 1834, absolvit mense Maio 1837. Alexander, Princeps Neerlandiarum, studia inchoavit mense Decembri 1835, absolvit mense Iunio a. 1838.

Docuimus eos, Cl. H. Cock, *Ius Naturale*, *Ius publicum Universale* et *Neerlandicum*, *Ius Gentium Universale* et *Europaeum*: Cl. H. W. Tydeman, *Oeconomiam Politicam:* ego *Historiam Universalem* et *Patriae*.

Pater adolescentium, Princeps Arausiae, ipse de profectibus, quos filii fecissent, cognoscere cupiens, nos Hagam Comitum ad se invitavit, eoque et honoratis ex aula viris praesentibus: discipulos nostros singuli duas continuas horas, de variis suae quisque disciplinae partibus, interrogavimus, diebus 20, 22, 23 Maii a. 1837, et d. 30 Iunii et 2, 3 Iulii a. 1838. Aderat etiam D. O. Bagelaarius, cui suae laudes proximum a legato Imperatoris locum in exercitu conciliaverunt, fortitudine ac prudentia et omni humanitate excellens, Neerlandus antiquis moribus, perpetuus Principum in studiis Academicis comes.

Pater animum diligenter attendit, viditque et grato erga nos animo laetus significavit, filios non frustra in Academiam Leidensem fuisse missos. Equidem dies istos non facile obliviscar. Raro enim vidi ullum patrem, cui recta filio-

qua erant pietate, oblivisci potuit, quid Academiae deberet. Neque Guilielmus neque Alexander obliviscentur. Guilielmus, fatis, ut speramus, ordine euntibus, regnum olim accipiet. Mihi tam longa vita non superabit, ut hunc regem adspiciam. Sed hoc augurio votisque ominor, hoc meus mihi praesagit animus: Guilielmus III, rex Neerlandiae, praeclara maiorum exempla cum aliis virtutibus, tum literarum doctrinarumque amore imitabitur, et cara illius cordi erit Academia Leidensis. Novit enim et probe intelligit, quam eximium ea sit patriae suae ornamentum. Pulchrum est patriae bene facere in armis: pacis munera et in praesens dulciora, et in perpetuum utiliora sunt. Mauritius et frater Henricus, duo illa belli Hispanici fulmina, gladios et dextras hostili sanguine cruentantes, Neerlandiam in sede collocatam stabilivere. Sed pater Guilielmus, condita Academia Leidensi, theatrum libertati veritatique instruxit magnificentissimum, eoque Hispaniae longe graviorem cladem intulit, quam si validos exercitus internecione cecidisset. Quanto enim praestat animus corpori, tanto clarior et potentior est triumphus ingenii quam armorum. Divitiae, decus et opes civitatium, mortalia et caduca, dilabuntur: facinora sapientiae manent, manebuntque, sunt divina et aeterna.

---

rum disciplina adeo curae cordique esset, neque unquam melius intellexi, quam vera in hoc regno frueremur dicendi quae sentiamus libertate. Nam de Principibus Arausiacis, de Oldenbarneveldio, de Wittiis et omnino de origine, progressu et effectibus discordiarum, quae rem Neerlandicam perdidere, eo modo locuti sumus, quo Burgimagister antiqui temporis, sive factionis Arausiacae sive anti-Arausiacae, neminem, se audiente, loqui tulisset.

Ultimi fuisse dicuntur, tunc temporis scilicet a. 1839. Nam res ipsa loquitur, duobus Guilielmi III praesentis regis filiis, Guilielmo Nicolao Principi haereditario, eiusque fratri Alexandro, illi ab a. 1856—1858, huic ab a. 1870—1874 Academiae alumnis, in hac Oratione locum non fuisse.

Vidimus, quae necessitudo Academiae cum Principibus Arausiacae gentis intercesserit. Habemus et alias necessitudines, in quibus praecipuam, qua vobiscum, literarum studiosi adolescentes, sumus coniuncti. Reges et Principes neque estis, nec, puto, fietis. Tempora enim Napoleontea semel praeterierunt. Sed filii estis parentum, qui in omni loco atque ordine robur et flos populi vigent, fietis liberi cives, suae quisque fortunae artifices, si bona vestra hic noveritis, et, quid vestra causa fiat, animo reputetis. Explicabone? Vel unius anni praeteriti memoriam mecum repetite.

Curatores solita ipsis prudentia et studio rei Academicae consuluerunt. Est iste quidem haud quotidianus honos sedere, ubi Ianus Dousa Nordovix, et Dousa digni sedere viri. Sed quam variae gravesque curae honoris sint comites, ipsi optime sciunt. Hoc omne, quidquid est, volentes tolerant; prospiciunt alteri aetati, prospiciunt vobis.

Si Professores contemplamini, neque horum pietas vobis defuit. Omne disciplinarum genus, ab antiquissimis deductum temporibus ad hanc memoriam, fuit expositum. Multi prolatis ad communem notitiam scriptis, gloriam Academiae iuxta domi sustinent, foris illustrant: alii, quae affecta habent, ornant et expoliunt. Non quiescunt, non remittunt. Quid eos tantopere incitare putatis, ut, relictis rebus, quae vulgo in vitae bonis censentur, sic agant? Posteritas optimo cuique perpetuo ante oculos versatur. Posteritati dum consulunt, consulunt vobis.

Iam circumspicite Leidam, animisque percurrite insignia publicae liberalitatis monumenta. Quare rex Guilielmus Museum illud Naturalis Historiae, vix e communi rapinarum receptaculo Parisino repetitum, Academiae dedit, et continuo ita amplificavit, ut hospitibus etiam illis, qui

raro nec fere nisi inviti aliquid in Neerlandia admirantur, admirationem extorqueat? Quibus in spatiosa horti amoenitate tanta florum herbarumque, ex toto prope terrarum orbe conquisita, arridet copia? Musea rerum antiquarum, numorum, pulchrarum artium, Anatomicum, Nosocomium, quo consilio fuere instituta?

Quid physica instrumenta, quid rustica, quid chemicum laboratorium, quid turris observandis sideribus nunc ita ornata, ut melius in coelo videre nunquam potuerimus? Vobis omnia ista fuere instructa, vobis hoc etiam anno conservata et aucta: clarissimi et doctissimi homines, qui regunt, nullum laborem declinant, quo vestram excitent alantque discendi cupiditatem. Haec etsi per se singula iam magna sint, ingens accedit cumulus Bibliotheca, in quam omnes omnium rerum fructus confluunt. Quae librorum editorum multitudo, quam dives manu scriptorum, orientalium quoque, copia! Quale additum Bibliothecae vir ille ornamentum, cuius anima per artus diffusa tantam molem eo consilio ac ratione agitat et gubernat!

Haec sunt illa bona vestra, quae si hic noveritis, ipsi existimate, an spes vestras et fortunas recte praedicaverim. Haec vobis fecimus. Quid nobis, quid vestrae laudi fecistis? Boni consulite libertatem meam, et tacita respondete conscientia, partim mihi ipse respondebo.

Vidi nimirum in hoc Magistratu meo multam industriam, discendi ardorem, profectus ad illud, quod sibi quisque proposuit, egregios. Vidi maiora. Ortis quibusdam in illa republica vestra dissidiis (et quae respublica unquam caruit? philosophi adeo disputant esse utilia), ortis igitur dissidiis,

---

Per artus diffusa tantam) Ed. pr. *per totos artus diffusa circumvagatur tantamque.*

iisque propterea difficilioribus, quia partium honos agi videbatur, vos ea aetate, eo ingeniorum fervore adolescentes, concordiam ita restituistis, ut nemo fere ultra triduum fuerit iratus. In qua re generosam ad unum omnes ostendistis indolem, mihique ea benevolentiae et amoris documenta dedistis, quae menti inscripta nulla unquam dies obliterabit. Tanti fuere brevia illa dissidia. Nam, ut omittam novas leges, quas ab ordinibus vestri corporis latas, unanimi propemodum consensu accepistis, probati estis. Domuistis animos vestros, et exemplo longe pulcherrimo, quod hic nunquam peribit, vos ipsi vicistis. Ergo hoc natali Academiae die, in hac primaria Musarum Neerlandarum sede et domicilio, coram hac lectissimorum hominum, quos videtis, corona, ego vobis gratias ago tam ingentes quam sinceras. Glorior illa vestra pietate et favore, quem apertis honestisque artibus et semper comparare studui, et conservare semper studebo.

Neque vestram, clarissimi Professores, erga me voluntatem silebo. Si Academiae et nunc et antea non fuerim pudori, vestro etiam tribuitote exemplo. Cuius autem exemplum me propius tangeret, quam tuum, Iane Baki? Non hic declarabo, quas res et ego et alii in te semper admirati fuerimus, neque, si tua pateretur modestia, necesse est: satis enim superque ex scriptis tuis apparet, brevique, ut speramus, iterum ex Cicerone tuo apparebit. Sed quod in libris a te editis non adeo monstrare potuisti, inusitata est illa in obeundo munere religio, cuius ego, quamdiu te cognovi, testis fui quotidianus. Neque in eo me tibi vel invenisti vel fecisti ita dissimilem. Quare, et

---

Quas res et ego et alii in te semper admirati fuerimus) Ed. pr. *quas res in te semper admiratus fuerim.*

propter caeteram animorum in his studiis et negotiis consensionem, discipulis quoque nostris concordiae exemplum vivere potuimus. Tu porro, vosque, collegae coniunctissimi, laudibus vestris florete; nec Cl. van Breda, qui Musea Teyleriana et Societatem tuendis doctrinis Harlemensem cum Academia mutavit, huius consilii poeniteat. Quos domestico vulnere vidimus laceratos, hi, qua pati incepere, perferant constantia, ea, quam sola sanctissimae religionis praecepta ad leniendum dolorem ministrant. Non hoc loquor ostentationis vel consuetudinis causa, sed ipse malorum haud ignarus, eoque magis etiam persentiscens, quid animi parentibus fuerit, quorum filii, Academiae alumni, vitam immatura morte commutavere: neque sine horrore luctum et moerorem cogito, quibus perculsa atque abiecta fuit domus Wttewala, quum uxor maritum, liberi patrem dilectissimum viderent morientem. Sed iste dolor non intra parietes stetit: pertinuit ad multos alios, ad Academiam, ad Neerlandiam: publicus fere fuit, postquam vulgo intelligi coeptum est, quantum in eo foret amissum. Attingam tantummodo summas.

Gerardus Wttewalus, a. MDCCLXXVI antiquo et honorato genere natus, puer ardens cupiditate maria tentandi, eam matris causa oppressit. In Academia multarum disciplinarum initia animo complexus, Iurisprudentiam et Oeconomiam Politicam, non exiles illas et ieiunas, sed ornatu historico excultas et nitidas, egregie retinuit. Cuicunque officio praefuit, sive curando aggeri Leccano, sive rei rusticae in regione Ultraiectina, sive iuri in urbe dicundo, cum collegis modo de diligentia, peritia et integritate certabat, habebaturque in bonis optimus. Patriae et libertatis

---

Parietes) Ed. pr. *parietes privatos.*

amantissimum, quum in tyrannidem Napoleonteam abiiciebamur, se procul a republica habens, rure, in agris colendis literarumque studiis, ab adspectu saltem dirae servitutis remotus, indignationem concoquebat. Deletis in Russia Francorum exercitibus, Cosacci, reliquias vexando persecuti, in Neerlandiam irruunt, et vaccas morbo correptas secum trahentes, qui pestem improborum hominum ex agro Ultraiectino proterruerant, pestem innocentium animalium inferunt. Ingens erat, qui periculum intelligebant, terror, ne latius serperet, multique memoria repetebant pristini temporis miserias, quo exitiosa contagio quadraginta annos per omnem fere Neerlandiam grassata, agricolas ad extremam paupertatem redegerat, ut adeo fundos vili pretio abiicerent. In illo metu et trepidatione, apparuit unum hominem interdum esse pluris, quam totam civitatem. Wttewalus, quamquam recentem liberatae patriae laetitiam, nondum constitutam imperii formam, aerarium exhaustum, aliaque haberet adversa, plurimique nil nisi de rebus publicis loquerentur, de suis cogitarent, videns mature opus esse facto, agique oportere ac vigilari, celsus et erectus difficultatibus obviam ivit. Quae singulae hominem non inertem fregissent, has ille universas superavit, dimicando ad eum finem, quoad unius opera formidolosa pestis averteretur. Sed animus si curis ac laboribus diesque et noctes saeva hyeme tolerandis sufficeret, corpus non suffecit. Dolores acerrimi omnes artus occupavere, quibus deinde nunquam plane fuit immunis. Quae res, praeter alias, eum movisse videtur, ut oblatum hic docendae Oeconomiae munus acciperet.

Qualem habuerimus collegam et amicum, sine fraude et

Ut adeo fundos) Ed. pr. *ut fundos.*

invidia, simplicem, pium, qui nemini se praeponeret, vultumque non modo prae se ferret bonum, sed etiam gereret animum, semper in memoria habebimus. Studens veritati, moribus severus, non ut a facetiis abhorreret, sermonem, si posset, eo referebat, unde iucunditas cum utilitate redundaret. Sententiam, licet a communi opinione discrepantem neque in vulgus probatam, non celabat, eratque unus ex paucis Hollandis, qui non omnia veteris reipublicae instituta culparet. Nunquam tamen de Rege loquebatur, quin et ab eo hunc patrem patriae iudicari appareret. Caeterum Academiae suaeque disciplinae prospexit tantum, quantum a viro illius ingenii et doctrinae exspectari potuit. Doctrina, non exiguis finibus contenta, minime scripta Graecorum Romanorumque excludebat. Erant ei, quod sunt cuivis non inepto homini, elegantiae simul et sapientiae adiumenta: quas qui inde addiscere vellet, ei linguam aliquanto, quam fit, accuratius esse tenendam, pulchre videbat. Magna ingenia, in alto nempe locata, hoc quasi tenuius despiciunt. Sed dum elegantiam et sapientiam simulant, et pro vetusta probare student, idem faciunt, quod histriones Franci ante Voltarium, in ornatu illo aulae Parisinae Hectorem et Achillem agentes Homericum. Quo magis dolui per negotia mea fieri non potuisse, ut, quod me saepe rogavit, Catonem, Varronem et Columellam una legeremus. A me fortasse aliquid, ab eo discere potuissem multa. Nam multa sciebat, eoque ferebam iniquius, quum diceret, ex duplici hominum genere, altero scribentium, discentium altero, se esse discentium. Nescio enim, si ille suum esse putaret legendo discere, quam multorum esset, scribendo docere.

Hunc talem virum tantis virtutibus ornatum desideramus. Praesentes eas pauci animadvertebant, sublatas ex oculis

quaerunt omnes. Nulla scilicet in eo conspiciebatur, quod fieri amat, ubi homines plus sunt, quam videntur. Quamquam alterni gressus, quos, baculo nixus, incedendo tentabat, beneficium Neerlandiae redditum testarentur, nemo ex isto ore causam debilitatis audivit. Plura de Wttewalo dixi, quam initio proposui. Nam liber Thorbeckii est in omnium manibus, multa scriptus elegantia. Imago autem et consuetudo sic expressa sunt, ut filii secum in solitudine legentes, patrem etiam vivum ante oculos sedentem se ipsi adspicere putarent. Neque miror. Nam in eo libro et ipse Wttewalum agnovi, qui unus fui ex amicis, quos, morbo oppressus, quum mentis compos et praesens moreretur, extremum salutari mandavit. Tu quoque, bona et pia anima, a nobis ave atque vale. Sequemur te, quo ordine Deo erit visum. Interea magna perseverantia contendemus, ne, sicuti tu non frustra vixisti, et nos olim non frustra vixisse dicamur.

Huius animi, vos, optimi adolescentes, et hic eritis testes, deinde ipsi documenta, quum praeceptorum vitaeque in Academia transactae memoriam grato sermone usurpabitis. Qui testes estis, manete iidem adiutores, et quod fecistis, facere ne cessate. Primum ac praecipuum fuit, ut, cuius disciplinae causa quisque venit, huius addiscendae viam et rationem impiger et laboriosus sequeretur. Qui praeterea satis animi et probitatis habuerunt, ut, spreto

---

Liber Thorbeckii) Vita Wttewali, separatim edita ex Nuntio Artium et Literarum, Harlemi apud Viduam Adr. Loosjes, 1838. (*Levensschets van den Hoogleeraar* G. Wttewaall.)

Ut filii) Ed. pr. *ut ipsi etiam filii.*

Patrem etiam vivum) Ed. pr. *patrem vivum.*

Se ipsi adspicere) Ed. pr. *se adspicere.*

Nam in eo libro et ipse Wttewalum agnovi, qui unus fui) Ed. pr. *Nam et ipse Wttewalum cognovi, fuique unus.*

ambitu, aliquid eximium praestarent ipsi, hos ego arbitror esse laudandos, si gloriae cupiditatem sine rerum graviorum damno explere potuerint, felices.

Tales, puto, ad me venient duo iuvenes, ut singularis industriae mercedem, his solum legibus non parvi pendendam, accipiant. Quare et quibus modis hoc consecuti esse dicantur, auditote scribam Senatus Academici Facultatum iudicia recitantem:

IUDICIA.

Ego primum vobis, Gerarde de Vries, Abrahami, cari mihi nominis, fili, et Samuel Sarphati, Academiae nostrae alumni, quantum meremini, quod non exiguum est, tantum gratulor. Ioannes quidem Ludovicus Schlimmer, Medicinae apud nos studiosus, sortem habuit infelicem, et solatio eget. Facultas Medica librum illius aureo numo dignum censuit, antequam auctorem cognoverat. Cognito, etiam si voluisset, numum decernere non potuit, quia legitimum tempus in Academia non transegit. Si me audit, animum propterea non demittet, sed res suas, ut incepit, ita peraget. Deinde honoris causa nomino Andream Cornelium van Heusde, Hermanum Henricum Kemink, Ultraiectinos, et Ioannem Goldschmid Nanninga, Groninganum, qui, quod viribus deesset, voluntate suppleverint.

Denique, quod precatus sum a Deo Optimo Maximo, illo die, quo Magistratum suscepi, ea res ne mihi Academiaeque male atque infeliciter eveniret, sed dignitatem tueri, salvoque et incolumi sine labe et dedecore successori tradere contingeret; hoc an totum impetraverim, dicere non ausim. Tamen sat multa impetravi, ut animi adversus divinam bonitatem vere grati causas habeam iustissimas. Ita-

que munus Rectoris Magnifici depono: laetus ideo an tristis? Ante annum nunquam fore putabam, ut dubitare possem. Nunc non satis scio, nisi iucundam rerum multarum recordationem illud mihi tempus reliquit. Sed quidquid depono, meum Academiae amorem, Curatorum existimationem, Collegarum amicitiam, horum denique adolescentium caritatem nunquam deponam.

DIXI.

ORATIO

PUBLICE HABITA A. D. XXI. SEPTEMBRIS MDCCCXXXIX,

QUO DIE VEXILLUM MILITUM ACADEMICORUM IN SENACULO REPOSITUM EST.

Quodsi, ut in rerum natura agrorum alii segetem, alii fructus, alii uvas felicius gignunt, ita virtutum semina et incrementa a certis locis penderent, amorem patriae in hac urbe et Academia bene nasci augerique contenderem.

Neque ea laus, ornatissimi auditores, here vel nudius tertius venit. Brevi dies illucescet, quo memoria rei celebrabitur, ante ducentos sexaginta quinque annos gestae, sed ita omnium mentibus inscriptae, ut unaquaeque aetas praesens interfuisse videatur. Ingens, ingens reportata est victoria: ac nescio an maxima in omni isto bello Hispanico. Romani gloriabantur die Nolano, quum Imperator Imperatorem, exercitus exercitum posse vinci docuit, et populum post gravissimos casus spe melioris fortunae erexit: exiguam civium manum, discordiis, fame ac peste laborantem, potentissimi Regis retudisse impetum, maius est et magnificentius.

Atque huius facti gloria quo sensu cives Leidenses imbuerit, vel hinc intelligi potest, quod, quamvis poetae et

oratores in eo laudando Marathonem et Salaminem suam invenerint, sacrorumque librorum interpretes historiam quotannis in templis repetant, nemo tamen invenitur, cui non ita placeat, ut ad eandem obsidionis commemorationem novo semper ardore inflammetur, pueri adeo et feminae exsultent, ipsique senes quasi abiecto annorum torpore revirescant. Circumspicite domos, et libros quaerite, quibus patres familias otium utiliter delectant, invenietis vel in paupere bibliotheca vicinum saepe Novo Veterique Testamento Orlersium vel Severinum. Iam loca suburbana, munimenta, fossas, in ipsa urbe aedes, sepulcra, quidquid cum memoria tertii illius diei Octobris est coniunctum, nemo unquam sine tacita admiratione contemplatur, sordentque prae istis splendidissima regum ac principum palatia. Antiquae chartae, epistolae, manus virorum fortium, ratiunculae, numi, pecunia, tabulae pictae, tapetes, arma, supellex, ceu totidem thesauri a possessoribus servantur. Famem tolerare, quam tale ornamentum vendere, mallent. Fuit, neque is de divitibus, qui cespitem bituminosum, in castris Hispanis inventum, argento includeret, ne corrumperetur: quantumque ornamenti saecula reliquiis istis detraxerunt, tantum pietatis ac venerationis addidisse videntur: neque miror, quum Francus Berkheyus anno urbis liberatae ducentesimo illud carmen in aede sacra recitaret, dixissetque, primum inimicorum telum, quod in Leidam coniiceretur, suo se capite esse excepturum, unum ex plebe textorem clarissima voce exclamasse: *secundum mihi.*

Atque iste Leidensium sensus, ab initio tam nobili profectus, mansit indelebilis, fuitque nescio qua sanctitate auctus, quum pulcherrimam inusitatae virtutis acciperent mercedem Academiam.

Cui Academiae quod Dousa, Hoogevenius et Houtenus primi praefuerunt, eo tamquam divino omine idem Academiae sensus est ingeneratus: atque ea, suae sibi originis conscia, dignos abhinc sumsit animos, et, postquam in una cum civibus moenia coaluit, mente et opinione ita coaluit, ut ab amore suae sedis ac stirpis proficiscens, patria nihil unquam melius nec dulcius habuerit, diesque Octobris tertius et Februarii octavus omnibus fere natali proprio existimentur sanctiores.

Rideant ista, qui se philosophos esse profitentur, et disputent, non ea tecta neque domesticos parietes neque templa nec similes minutias esse patriam. Mundani a superficie et tignis suam caritatem per omnem terrarum orbem diffundant. Non invideo, sed non sum istorum philosophorum. Cum iis facio, qui, quando inimici nobis ea tigna ereptum veniunt, quando tempora manus poscunt, curiam non verbis replent, sed manus exserunt, et in adversos ire audent: qui faciunt, quod Academia Leidensis semper fecit et faciet universa.

Nihil dicam de vestro ordine, Curatores, Viri amplissimi. Ni una Nordovicis etiam post obsidionem constantia sufficeret, testarer alios, Cornelium inprimis Wittium, dignum Michaëli Ruitero in Thamesi comitem, cui Wittio Academia, iussu Curatorum solemni oratione in hac ipsa aede de tam illustri victoria gratulata est praesenti; testarer Iacobum Wassenarium, equitatui praefectum; — neque tuum nomen, Domine Maasdami, generose comes, inornatum a posteritate silebitur.

Neque nostri ordinis homines, Clarissimi Professores, sua se unice toga involverunt, aut oratione tantum et consiliis usi sunt, quamquam et hoc laudabiliter fecerint, ubi non sine periculo esset vigilandum. Sed Melderum

adspicite. Quum Ludovicus XIV et Carolus II sine causa, et hoc odio infestiore, ad subigendam Neerlandiam conspirassent, et Xerxes ille Francus belli sedem fecisset Ultraiectum, parati stabant Leidenses eum accipere, ut fortissimi maiores saeculo ante acceperant Hispanos. Christianus Melderus, Professor mathematices, agmen adolescentium Academicorum composuit, vexillum a Burgimagistris accepit, suosque milites arma tractare, ordines mutare, vigilias obire, stationem tueri, tanta cum diligentia ac peritia docuit, ut, qui spectatum venissent, etiam veteres militiae, satis admirari non possent. Huic Portae Albae et contigui aggeres committebantur defendendi. Non coeli tempestas, non dies noctesque continuatae curae animum frangebant. Ipsae ex Bodegrava et Zwammerdamo surgentes flammae magis incenderunt. Carolus Dematius, Professor Chemiae, proximum a centurione Meldero locum tenens, in armis conspiciebatur.

Neque alios postea, neque Kemperum nostra memoria ullum vitae discrimen deterruit, quominus laboranti patriae succurrerent. Atqui sciebat ille, quid ipsi, si in manus Napoleonteorum militum incidisset, pararetur, et omnium animis ac propemodum oculis saeva inhaerebant supplicia, de duobus sumta, ne seditio plebeia caeteros Leidenses traheret, utque metu in officio ac servitute retinerentur.

Sed, quod in aetatem et munus Curatorum ac Professorum non adeo cadit, armis sarcinisque onustos in agmine incedere, frigus et calorem, famem ac sitim tolerare, hostem in acie adspicere, vulnerare ac vulnerari, trucidare, capere, sanguinem et mortem videre neque tamen animo

---

Christ. Melderus, cet.) Conf. Oratio auspicandis lectionibus a. 1831. supra pag. 70 sq. ubi minus recte vocatur *Mellerus*.

Ex Bodegrava et Zwammerdamo surgentes flammae) Cf. ibid. p. 71.

commoveri, hoc pubi Academicae fuit relictum, neque unquam, si usus veniret, recusatum. Recusatum autem? Imo tam avide semper petitum, ut impetus fuerit retardandus, voluntas nunquam incendenda. A°. 1672 Rector et Senatus censuerunt, neminem, ut arma sumeret, esse adhortandum: idque prudenter fecerunt, etiam parentum causa: ingenti tamen numero arma sumserunt. Mussitantes inertem esse urbanam militiam, angusta explicandae virtuti moenia, aegre retenti sunt. Scitote tamen unum cum civibus armatis erupisse. Hic, Cornelius Mina, moribus et egregio literarum studio excellens, contra Francos fortiter dimicans, prope Woerdam, multis interfectis, ipse cecidit. Iacet sepultus in aede Sancti Petri, et, si ipse non exspectet parvum facti monumentum, quis dubitet, quod gratae posteritatis sit officium? Ipse, inquam, si mortui hoc sentiant et curent, non exspectat, neque ea spe atque opinione animae iuveniles mortem contemnunt. Dicat ille Pollius, quid ipsum moverit ut Zoutmanno duce in brevibus Asellinis tamquam navita triginta annorum contra Britannos pugnaret? Dicant qui se a. MDCCCXIII, iam labefactata Francorum tyrannide, cum civibus Haganis et Leidensibus coniunxerunt. Dicant, quum Napoleon, Ilva clam relicta, ab illa dominationis arce Parisina pristinum nobis dedecus meditabatur, qui partim in exercitibus nostris, partim suae sibi cohortis socii, ad arma convolarunt.

Dies Waterlous universam patriam gaudio ingenti replevit. Leidae erant, quibus illud gaudium dolore quodam misceretur, quod non interfuissent. Steterunt tamen ad Valencenas et Condeum, et milites Napoleontei, se pro victis haberi indignantes, iramque et vindictam spirantes, vexillum iuvenum Academicorum adspicere poterant.

Leidae erant, quibus illud gaudium dolore misceretur) Cf. Or. laud. p. 73.

Vos dicite, optimi et ingenui adolescentes, qui a. MDCCCXXX, quo viri armati, tamquam fratres Cadmei, partu subito ex tellure Neerlanda effundebantur, vitam Academicam cum militari ita atque intra paucos dies mutastis, ut hanc annos egisse videremini. Non erat praedicationis nobilitatisque cupiditas, quae pectora vestra inflammabat. Melior et sanctior ignis intimos sensus et medullas penitus permeabat, amor ille patriae, quem domi quisque cum materno lacte acceptum, in felici hoc urbis et Academiae fundo aluistis.

Et quis vestrum tali tempore patriam non habuisset carissimam, non in mente et oculis tulisset, vitam ei impendere non dulce et decorum putasset? Meminimus, et quis unquam obliviscetur, meminimus annos, menses, dies, horas. Sed, ubi arma sunt deposita, de rebus ante actis silere bonum, saltem humanum est, et hodierna comitas ita postulat. Erat tamen inconsideratum, tam levi vel potius nulla de causa tantos clamores tollere. Sed inimicitiae cessarunt. Erat tamen iniustum ea licentia grassari. Sed pax hodie est cum istis. Erat tamen impium, Regem et populum sic habere, quos habere poterant ac debebant patrem ac fratres. Sed Neerlandi et Belgae hodie sumus vel certe fiemus amici. Sed, auctores turbarum, auctores dico, commiserunt, quo sol, quamdiu terrarum orbem illustravit, nihil unquam vidit indignius, quod non Scaldis, non ipse Oceanus totis fluctibus eluet.

Tali tempore quid quisque sentiret, ipse optime novit, amor autem patriae et indignatio imperabant. Atque hic etiam apparuit, quam mala consilia consultoribus sint pes-

---

Auctores turbarum ... *commiserunt, quo sol* ... *nihil unquam vidit indignius,* cet.) Cf. Or. laud. p. 76, ad fin.

sima. Nos quidem ita fuimus probati, ut non sit, quod nostri nos nominis pudeat.

In qua re quas egeritis partes, neque vestra modestia neque mea consuetudo me exponere patiuntur. Spem et exspectationem nostram, ducum vestrorum, regis, patriae, omnium vicistis, causamque longe pulcherrimam, quae pro aris focisque, pro libertate, pro tuenda maiorum existimatione gereretur, sanguine et vita consecravistis. Macti estote, egregii iuvenes, ista virtute. Mercedem pulcherrimam vobis iam dederunt primum vestri mores et conscientia, tum grata rependet posteritas, et nomina vestra coniunget cum nominibus eorum, qui diem Regis natalem isto anno Bruxellis celebraturi fuissent, nisi exercitus potentissimi regis in Europa, Francorum, quibuscum nobis bellum non erat, cursum victoriarum stitisset.

Multa interim accidere dictu mirabilia, hoc inprimis: Intra decem dies maximam Belgii partem cum exercitibus nostris pugnando cepistis: decem propemodum anni in componenda pace perierunt. Composita est. Rex voluntarios dimisit, eorumque vexilla ibi reponi iussit, ubi memoria tantae laudis maxima cum dignitate conservaretur. Cuius rei ut testes essetis, vos hodie in hanc aedem convocavimus. Ergo primum audite sententiam decreti Regii:

Guilielmus, Dei gratia Rex Neerlandiarum, Princeps Arausiae et Nassaviae, Magnus Dux Luxemburgi, caet.

Quandoquidem, quum die 5 Octobris 1830 ad arma vocabamus, ingens Neerlandorum multitudo ardore inusitato et eximia fide, relictis focis, voluntarii ad nostram aucto-

---

Nisi exercitus... Francorum... cursum victoriarum stitisset.) Cf. Or. laud. p. 83.

ritatem tuendam et defendendos fines patrios confluxerunt, iique voluntarii, rebus mutatis, iam ab armis plane demitti possunt, omnibus pro generosa ac nobili opera gratias agimus solemnes. Vexilla adolescentium Academicorum reponentur, ubi Curatores et Senatus Academicus rei bene gestae memoriam fore quam honorificentissimam arbitrabuntur. Hagae Comitum die XI Iunii a. 1839, regni nostri vigesimo sexto. —

Quare Senatus amplissimus vexillo vestro Senaculum Academiae sedem destinavimus perpetuam. Quod igitur B. F. F. Q. S. I signifer, et Pro-Rectorem Magnificum sequere.

Factum est, Curatores amplissimi, vosque Professores clarissimi, quod decrevimus. Executi sumus decretum Regium, eo, quem nos et adolescentes istos decere putabamus, ritu antiquo, Leidensi et Academico, sine pompa et ostentatione, intra domesticos parietes et tamquam in sinu familiae. Delectentur, qui velint, ornatus conspicui elegantia et copia, tubisque et tympanis per vias et fora celebrent, quod bene factum putant: nostra nobis simplicitas sat est, eamque, ut a maioribus quasi per manus traditam accepimus, ita nostris nepotibus rursus trademus incorruptam. Sic Leida crevit, crescetque, et per invidiam et calumnias maior in dies pulchriorque efflorescet.

Neque adeo vos, egregii adolescentes, opinioni huic nostrae innutriti, mirari potuistis, cur vos in hanc aedem sic acceperimus. Quacunque oculos circumfero, hic suggestus, ista subsellia, parietes, lacunar, testantur antiquitatem. Saeculi elegantiam quaerimus. Nuper nonnulla

fuere refecta, sed ut Romani casam Romuli semper reficiebant, ne collaberetur scilicet. Mihi quidem ea religio accidit longe iucundissima, nec, si possem, cum palatio, marmoreis fulciminibus sublimi auroque et argento splendente, mutarem. Quodsi maiores nostri fuissent arbitrati, artes et disciplinas ibi maxime florere, ubi externis decorum ornamentis plurimum niterent, non deerant opes, quibus principem Academiam illustrassent. Putabant illi veram animorum factorumque magnitudinem et superbos cultus raro bene convenire et in eadem sede morari.

Rei quidem a vobis gestae non alius magis locus conveniebat. Virtutis ac disciplinae perpetua comes erat modestia. Ea vos ne post victoriam quidem in summa omnium laetitia et laudatione reliquit. Reversi, cum veste militari militem exuistis, nemo amplius cogitavit aut locutus est, quae fecisset, contenti illo aereae crucis insigni, quod ex inimicorum tormentis confectum, quivis expeditionis socius in pectore gestat. Caetera Ordinis Guilielmei ornamenta, a Rege oblata, ut inter optime meritos dividerentur, recusastis, ita putantes, suo quemque officio esse functum, factique conscientiam sufficere. Tanti nimirum eratis, si nescitis, in honore non accipiendo, quanti fuistis in merendo.

Hos sensus digne capit haec, quam videtis, aedes. Ad hos ea unice facta et quasi nata est. Quamquam si omittentes, quod oculis cernimus, illud, quod sola mente et cogitatione percipi possit, sequamur, eum hic reperiemus splendorem, qui non ex Ionicis Doricisque columnis, sed talium maiorum recordatione nascitur. Me quod attinet, quum cogito, quot quanti ex hoc suggestu verba fecere viri, ab Europa cuncta adspectati, habitique in omni do-

ctrinarum genere praeceptores, et quae verba fecere, pro amplificandis literarum laudibus, pro gloria ac salute communis patriae, quum reputo auditores Mauritios, Fredericos Henricos, Guilielmos Tertios, aliosque gentis Arausiacae Principes, caeterosque viros honoribus in republica illustres et meritorum fama immortales, quum denique mihi tot adolescentes propono, quorum ibi stantium animus vehementissime ad virtutem amandam fuit incensus, eamque in generosis pectoribus crevisse flammam, ut sedari, nisi adaequata parentum gloria, non potuerit: haec igitur si perpendo, eadem illa nostra mediocritas, tamquam si numen aliquod inhabitet, ingentem animo venerationem et quasi sacrum horrorem iniicit.

Si igitur vos in consentaneum vestrae virtuti locum excepimus, vexillo quoque eam destinavimus sedem, qua honoratiorem inveniri posse arbitrabamur nullam. Et iste angulus non multum ab antiqua simplicitate recessit, sed aevi vetustate, consiliorum memoria, et ipsa fere proavorum praesentia consecratus est, adeo ut vel adspectus neminem paullo humaniorem non commoveat. Caesares et Reges et potentissimi in Europa Principes, quibus domi deliciarum abunde est, sine conspecto Senaculo Leidam non relinquunt. Vidi nuper, ut vetera omittam, Alexandrum Nicolai f. Magnum Russiae Principem, eo vultu intrantem, quasi qui arcem Cremleam intraret, eique tum ostendi fossam, ubi Caesar Petrus in phaselo suo pernoctabat, ut summo mane cum Boerhavio Academiam perlustraret. Niebuhrius, Germaniae ornamentum, hinc ita tacto religione animo discessit, ut domum reversus diu post in Historia Romana scriberet: excepta Graecia et Italia nullum in

Niebuhrius) Vid. supra Or. de Scaligero, pag. 88.

toto terrarum orbe locum esse doctis hominibus sanctiorem, Leidensi hoc Senaculo.

Quod si peregrini ea admiratione intuentur, quid nobis esse animi oportet, considerantibus, hanc sapientiae prudentiaeque fuisse arcem et quasi Capitolium, ubi intonsi patres de rebus gravissimis deliberantes, posteritati semper suae consuluerunt, ius sine provocatione, vitae quoque et necis, dixerunt, suosque fasces nec Regibus nec Principibus submiserunt.

Ex hoc Senaculo Europam circumspicientes, in parvam Hollandiam vocare audebamus, quidquid ubique invidendis ingenii et doctrinae laudibus emineret: et Francia, Germania, Britannia, Helvetia, viros, suae patriae decora, oculis invitis Leidam migrantes cernebant.

In hoc denique Senaculo, iidem illi maiores nostri in pictis imaginibus spirare, moveri, vivere adspicientibus videntur. Iosephus Scaliger in toga purpurea, ille e Principibus Veronensibus et qui Comitem nostram Magaritam cognatione attingebat, Boerhavius, 's Gravesandius, Hemsterhusius, quae, quanta nomina! Tum, qui omnium medius conspicitur, ille libertatis Neerlandae et Academiae auctor Guilielmus I, in cuius oculis et vultu prudentia et constantia insident, nobis ab adolescente donatus, qui sua literarum studia tunc absolverat, nunc regnum eo civium suorum amore gerit.

Quodsi unquam oratori campus ad dicendum apertus fuit latissimus, mihi sane hic aperitur. Sed satis dixi, ut intelligeretis, quantum huius Academicae sedis sanctitas apud

Ab adolescente) Rege Guilielmo I, quum studiis peractis Academiam relinqueret. Vid. Annot. ad Orat. Rectoralem, ed. pr. p. 135 sq. ed. alt. p. 83 sq. ubi ex Actis Curatorum exhibetur Principis epistola Latine scripta, cum Tewateri, nomine Senatus, responso, mense Ianuario a. 1791.

omnes vere Neerlandos et praecipue ipsos Academiae alumnos valere debeat. Feci igitur, quod hospites faciunt, qui laudatos et veteres amicos bono vultu et voluntate non inerti accipiunt. Vocavi in aedem, qua vobis in tota urbe, imo Neerlandia, dari poterat magnificentior nulla, atque illud vestrae pietatis monumentum reposui, ubi et plurimum ornamenti acciperet, neque exiguum ipsum adderet.

Anni hodie fere sunt novem, ex quo vexillum illud sustulistis. Reversi, praeter Beeckmannum, qui fortiter pugnando apud Behringam cecidit, paucisque amissis, qui vel laboribus confecti peregre vel brevi post domi suum diem obierunt, literarum studia repetivistis. Rerum interea multarum facies est mutata, nec deinceps mutari desinet. Reliquistis Academiam, alter alteri muneri in republica praepositus, alter privata curat, viri estis, non pauci etiam patres familias.

Ita nimirum sese habent cuncta mortalia. Stabile aut perpetuum frustra quaerimus. Unum tamen aliquid in Neerlandia et in hac ipsa Academia est, quod neque temporis diuturnitas neque hominum opinio delebit: quod vires ab annis volventibus acquirit, quod aeternum manebit: omnia enim mutentur, summa infimis misceantur: studium gloriae maiorum sancte conservandae et amor Dei et patriae, novo hoc et illustri exemplo consecratus, nullis mutabitur saeculis.

DIXI.

CARMINA.

CARMINA QUINQUE

PERTINENTIA AD

CALAMITATEM LEIDENSEM,

QUAE FUIT A. D. XII. IAN. MDCCCVII.

Μᾶλλον δὲ τὸ μέν τι τῆς λύπης δεῖται Θεοῦ, τὸ δὲ ὑμεῖς ὑμῖν αὐτοῖς παῦσαι κύριοι. Τὸ μὲν γὰρ ἀνορθῶσαι τὴν πόλιν, ἕτοιμον, εἰ βουληθείητε· τῆς δ᾽ἐπὶ τοῖς τεθνεῶσιν ἀθυμίας ἐξ οὐρανοῦ πόθεν ἔλθοι παραμυθία.

Libanius, *Epist*. XXXIII.

I. *De malo Leidensi.*

Mens congesta horret, saevum renovare dolorem,
Heu tam communi mens nimis icta malo!
Quae sibi disiectasque, et ab ima sede revulsas
Fingit, et ardentes igne furente domos.
Quae miseros cives, laceratos corpore toto,
Ut fuerint multis vota suprema mori.
Quae patres sine prole, et prolem patribus orbam,
Et rapta ante diem dulcia coniugia.
Pulveris hoc vitium est sacri; quo dira ruinae
Et via tam subitae caedis aperta fuit.
Qui primus docuit fatalem hunc pulveris usum,
Hic merito inventis occidit ipse suis.

Hinc etiam Leidae tantorum causa malorum
Orta, et vi tanti fulminis icta gemit.
Hinc, quam non saevi potuerunt perdere Iberi,
Nobilis urbs magna parte sui interiit,
Et, quibus aut Musae se aut patria credere possent,
Multorum facta est civium amara cinis.
Illi circumstant silices praecordia duri
Ferrea, qui siccis audiat ista genis.
Me, totum infando percussum cura dolore,
Sevocat a caris fontibus Aonidum.
Me, veros animi conantem expromere foetus,
Impedit heu facies, urbs miseranda, tua! —
Ite tamen lacrymae, pietas iubet, ite querelae,
Ite tamen versus, quo vocat illa, mei.
Cum doleant peregrini etiam, cum lugeat omnis
Belgica, te solam, Musa, tacere nefas.

II. *De morte Kluitii et Luzacii.*

Vos quoque, quos niveis veneranda senecta capillis
Sparserat, o patriae lumina bina meae!
Vos quoque nigra dies, nullo delebilis aevo,
A patria et Musis in cava busta tulit!
Nec licuit, placidis extremo in limine vitae
Reddere mortales corporis exuvias!
Lumina nec clausere manus morientia amicae,
Nec vultu dictum est deficiente, vale!
Mortales, vitae incerti sortisque futurae,
Discite vos quovis posse perire die.
Kluitius ecce! iacet miseranda strage peremtus,
Kluitius, Hollanda primus in historia.

Forte senem, populi meditantem fata Batavi,
    Oppressit tecto lapsa ruente domus.
Ecce iacet docto exemplum Luzacius orbi,
    Ille decus Graiae Pallados et Latiae.
Illum, sperantem nil tale aut tale verentem,
    In media feriit dira ruina via.
At bene, quod vitam longa contemnere vita,
    Vincere quod cineres et didicere suos.
Hos, quamvis inopina, ad sedes laeta quietas
    Mors vehit et campos ducit ad Elysios.
Salvete illustres animae! salvete beatae,
    Gaudiaque aeternae carpite plena domus!

III. *Ad manes Dousiacos.*

Dousiaci manes, et magni nominis umbra,
    Sive astra certa permeas,
Seu via te, coelo quae lucet clara sereno,
    Sedes Deorum, detinet,
Ecquid crudeles gemitus et flebile murmur
    Venere ad alta sidera?
O si nunc etiam curas humana, tibique
    Est cara, ut olim, patria,
Quali te dicam affectum moerore, Deoque
    Quales preces effundere!
Leida, ab Iberorum frustra tentata catervis,
    Virtute Dousae nobili,
Leida, ubi fixerunt Heliconia numina sedem,
    Ducente Dousa et auspice,
Infandum tulit, et nunquam medicabile vulnus,
    Commune toti patriae.

Ergo ubi Leida fuit, segetes volventibus annis
Manus secabit rustica?
Templaque sancta Deo pascent et tecta iuvenci
Bonis dicata literis? —
Dî prohibete nefas! — cives prohibete Batavi! —
Huic et malo succurrite! —

IV. *Mens Batava.*

Horrida quum totum saevirent bella per orbem,
Conferrentque aliis aliae cum gentibus arma,
Belgica et incensa est, flammaque exarsit eadem.
Et quamquam vitae non deerat prodiga virtus,
Nec Socii, qui nos opibusque virisque iuvarent,
Impia civiles tenuit discordia mentes,
Et quo pulsarent patriis a finibus hostes,
In sua verterunt hoc ipsi viscera ferrum.
Omnia tum ruere in peius coepere, bonaeque
Virtutes Batavos primum liquere Penates.
Sancta fides abiit, mores abiere pudici,
Simplicitas nec erat, nisi nomine nota, parentum,
Verus amor patriae fugit, studiumque colendi
Numinis, ah! raras tangebat nobile mentes.
Sed quamvis rerum tempestas saeva malarum,
Hanc pestem patriae infectis afflaverit oris,
Reddere non duros potuit tamen illa Batavos.
Adspiciant alii lente mortalia damna,
Auresque ad miseros cogant surdescere fletus,
Non ea durities Hollandae est barbara mentis.
Haec levat auxilio miseros, unaque ferendo
Et reddit leviora malo et sua cogitat esse,

Anxia nec disquirit, utrum sit civis an hospes.
Vos tamen inprimis, eadem quos patria, cives,
Eduxit, testor. Satis est, vos invida fata
Innocuos premere et conantes plurima frustra.
Tuque, sed o utinam te patria teste careret!
Tu quoque testis eris, misera percussa ruina
Lugdunum, Hollandaeque exemplum nobile mentis.
Et quamquam haud homines miseranda strage peremtos
Patria ab infernis potuit revocare tenebris,
Tu, velut Assyriis qui vivit odoribus ales
Unicus, ex cinere et flamma mage laeta resurges.
Tu populi stabis monumentum insigne Batavi,
Nobilius partis humana caede triumphis.
Macte ista virtute, o patria, quam tibi frustra
Tollere flebilium rerum est aggressa procella.
Haec te placabit coelo, haec tibi Numinis iram
Ah! iustam nimis in priscum convertet amorem.
Iam veteres repetet concordia sancta Penates,
Laetior et sacros audebit tollere vultus
Religio, pietasque novo gaudebit honore. —
Tempus erit, pacem dederit quum maximus orbi
Napoleon, quando tutae velut ante carinae
Vela dabunt, et qua nitidum caput exserit undis,
Et qua solvit equûm Titan spumantia frena.

V. *Virtus optimi civis.*

Qui patriam teneris dulcem iam diligit annis,
Virtutemque animi huic donat roburque virilis,
Atque etiam exemplis, cana veniente senecta,
Inflammari eodem sua pectora monstrat amore,

Huic neque grata quies, nec mens sibi conscia recti,
Nec desunt virides oblatae a cive coronae,
Quas amor imponit niveis pietasque capillis.
Hunc, quando aeterna clauduntur lumina nocte,
Et lacrymae cunctorum et candida vota sequentur. —
Illius ad tumulum deducent cara parentes
Pignora, narrabuntque herois grandia facta,
Quae discant avide primisque imitentur ab annis.
Haec tua, Kinsbergi, sors est, haec aurea virtus! —
Kinsbergi, quo cive et Rex et patria gaudent!
Laudabunt alii partos tibi Marte triumphos,
Aequoris infectosque Britanno sanguine fluctus;
At, si tanto operi possent subsistere vires,
Prodere carminibus tua me bene facta iuvaret,
Et placidum miseris animum, mentemque benignam.
Haec bonitas mutae non est ignota iuventae;
Hanc pueri caris sensere parentibus orbi;
Hanc viduae tristes, misera hanc pauperque senectus;
Hanc Elburgenses, patria plaudente, Camenae.
Ecce! gemit Leida, horrenda percussa ruina,
Vixque tuas etiam dolor hic pervenit ad aures;
Haud mora, succurris, tantae nec ferre recusas
Partem aliquam stragis, leviora que reddere damna.
Felix divitiis et felix arte fruendi,
Optime Kinsbergi, sero te regia coeli
Accipiat cupidi! hoc mecum desiderat omnis
Patria, non ficto quae te veneratur amore.

CARMINA QUINQUE,

DICATA HONORI AC MERITIS NAPOLEONTIS MAGNI.

> *Ἐνίοις γὰρ ἀμέλει καὶ κολασταῖς ἑτέρων πονηρῶν, οἷον δημοκοίνοις, ἀπεχρήσατο τὸ δαιμόνιον, εἶτ' ἐπέτριψε καθάπερ, οἶμαι, τοὺς πλείστους τυράννους.*
>
> PLUTARCHUS, *de sera Numinis vindicta.*

I.

O animi felix, o rege potentior ipso,
  Fortunae dominus qui cupit esse suae!
Hunc dives labor, hunc virtus comitatur, euntem
  Ducit ad aeternos qua via rara deos.
Hunc beat illimi manans de fonte voluptas,
  Ignavo nunquam percipienda gregi.
Hic subigit steriles Libyae sitientis arenas,
  Et feritas terrae, victa labore, fugit.
Qua vox horrendi resonabat rauca leonis,
  Cantat balantes Tityrus inter oves.
Pro tristi lolio gravidae nascuntur aristae,
  Eque nova flores exoriuntur humo.
Stant celsae pinus, stant recto stipite quercus,
  Et querulae densa fronde teguntur aves.

Sic olim Hollandam, quis credere possit? Apollo
Tellurem e domitis surgere vidit aquis.
Hanc, quam barbaries Galli ingeniosa tyranni
Exspoliatam iisdem reddere tentat aquis.
Quod nobis averte Deus! sin — ultimus ille
Sit quoque sit Gallis ultimus ille dies.
Hac patriam lege hac memet periisse iuvabit,
Sic, quam nunc patimur, mors mihi lenta placet.

II.

Cum subit illorum facies mihi laeta dierum,
Quîs pueri nostros lusimus ante Lares.
Cum repeto iucundum, ah! non reparabile tempus,
Decidit ex oculis lacryma multa meis.
O dulces sine lite ioci, sine felle voluptas,
O animi immensae, pauca volentis, opes!
Mordax non facilem rumpebat cura soporem,
Anxiave Hollandae sollicitudo rei.
Nam quid ad innocuam patriae discordia turbam,
Cui tunc patria erat tota, paterna domus?
Omnibus impendens nos saeva ruina latebat,
Illa, illa ah! Gallis facta ruina dolis,
Gallis facta dolis, et proditione scelesta.
O fera latronum natio, digna cruce!
Servorum truculenta cohors, infamia saecli,
Fallere nata homines, fallere nata deos!
Scilicet ex illo dilecti tempore fratres,
Invasit nostram sors inimica domum.
Et quod tunc pueri de ligno lusimus armis,
Flebile non ficti militis omen erat.
Te designabant fata, horrida fata, Gerarde,
Illa tuum petiit dira procella caput.

Quid tibi Napoleon cum nostro saeve Gerardo?
  Victima quid causae cogitur esse malae?
Pacis amans puer est, et prorsus inutilis armis,
  Quid facis invito milite? mitte domum.
Non vitam alterius tibi vendere possumus auro.
  Nam pater est culpa pauper egensque tua.

III.

Scribis ut, in Galla dum tu regione moraris,
  Curemus flores, care Gerarde, tuos.
Hoc faciunt fratresque tui, parvaeque sorores;
  Atque horti facies, quae fuit ante, manet.
Graminaque et steriles Antonius eruit herbas,
  Et puri calles cultaque septa nitent.
In partem venit illius Charlotta laboris,
  Et flores riguis vespere spargit aquis.
Rident dulce tulipae, et mille coloribus ardent,
  Oebalii flores, et rosa suave rubent.
Caules iamque suos varius ranunculus ornat,
  Auriculae tollunt molle cacumen humo.
Una sed heu! languet foliis Hortensia moestis,
  Pulcher demisso stat quoque flos capite.
Deliciae flos ille tuae, tua et ille voluptas.
  Ah! ne sint mortis praevia signa tuae.
O quoties nectit virgo fragrantia serta,
  Impositura tuis scilicet illa comis!
Impositura comis atque oscula multa datura:
  Serta sed exiguo tempore sicca iacent.

Scribis ut, cet.) Adscripsit Royenus: *Elegia quam iucundissima.*
Pulcher demisso) Malebat, ut videtur, R. *Pulcri depresso.*

Saepe ait »ah! studium me frustra oblectat inane,
»Frustra care tuas hortule praedor opes:
»Sed flores possunt et germina vere reverti;
»Tu modo sis nobis, frater amate, redux!"
At vereor. Subeunt mihi tanta pericula belli:
Pallida mors vestrum cingit ubique latus.
Ille perit duro fractus sua membra labore;
Ille perit multo frigore, at ille fame.
Ignivoma huic caput, huic demunt tormenta lacertos,
Opprimit hunc volucri Russicus hostis equo.
Quidquid id est, si te maneant quoque fata sub armis,
Dî tibi dent parvas mortis habere moras!
Hoc melius, quam si misere per mille dolores
Lucteris sicco emittere ab ore animam;
Quam te vivum etiam et conantem plurima frustra
In tristem iaciat Gallica gens foveam.
Ah! miser irascor votis quae fecimus, et quae
Irata nobis audiit aure Deus.
Tunc melius caram potuisti reddere vitam,
Aegrotus morbo cum premerere gravi:
Arida cum febris lassos depasceret artus,
Et tua non posses membra levare toro.
Oscula iunxisset mater tibi cara suprema;
Te pater amplexus deficiente manu,
Dixisset pleno miseris singultibus ore:
Aeternum hic nobis, optime nate, vale!
Cur mihi non licuit iustos tibi reddere honores,
Nec poni carum cernere corpus humo?
Scilicet invidit talem sors aspera luctum,
Te servans aliis nosque patremque malis.
Ut Bonaparteae praeberes colla securi,
Quae nullo humana tempore caede vacat.

IV.

Scilicet hoc deerat vobis animalia, nec iam
  Gallica quo feritas progrediatur habet.
Saevitis ferro gravidarum in viscera matrum,
  Figitis infantes, figitis ense senes.
O quae magnanimûm virtus generosa virorum,
  O Bonapartea digna tropaea domo!
Quid loquor, aut ubi sum? Deus, adspicis ista, tuumque
  Cessat ab irata fulmen abire manu?
Fallor, an infernis rediit trux Alba tenebris,
  Saevitiae instaurans facta cruenta suae?
Gaude Hispane, olim summae feritatis imago,
  Napoleon partem criminis huius habet.
Haecne igitur Gallae bonitas est insita menti,
  Parcere sic victis gens generosa solet?
I nunc, atque nega, si quis tamen audeat illud,
  Gallorum factas ad scelus omne manus.
Ecce venit supplex, sacraque in veste sacerdos,
  Et cadit ante tuos, dira caterva, pedes.
Parcite, dum clamat, dum frustra multa precatur,
  Hasta per innocuum transit adacta latus.
Scilicet hoc nostrae munus pietatis habemus.
  Ah! nimium Hollandi gens sine fraude sumus.
Nuper erat Batavis quum cedens Gallus ab oris,
  Gauderet turpi tutus abire fuga.
At vexata diu, iustoque incensa furore,
  Ardebat turbam plebs iugulare vagam.
Quis vos eripuit leto, manibusque paratis
  Gallica per medias spargere membra vias?
Pro vobis etiam malesani sumsimus arma,
  Et fuga tunc per nos libera vestra fuit.

Excidit ista animis subito clementia diris.
   Ah! pereat Gallum quisquis amare potest.
At vos Woerdenses indigna caede peremti,
   Exemplum extremae flebile saevitiae,
Gaudete, et tutis placide requiescite in urnis,
   Inferias vobis Belgica tota parat.
Non fletu aut lacrymis tumulata rigabimus ossa,
   Tale sepulcrum alias postulat inferias.
Ense parentandum est, Gallos iugulabimus ense,
   Iustaque Gallus erunt nobiliora cruor.
Ecce unus populi ferit aurea sidera clamor,
   Vindictae cunctos una cupido tenet.
Arma petunt iuvenes, nullo cogente, frequentes,
   Arma, viri clamant, clamat et, arma, senex.

V.

Monstrum horrendum, Europae omni fatale, Batavae
Pernicies gentis, nomen sine nomine! Nam quem
Te dicam, quî te appellem? Crudele tyranni
Exemplum, Furiae terras vastantis imago,
Bellua, quae nostras crevisti pasta medullas,
Et tamen irrides lento mala nostra furore.
O utinam mea verba tuas ferrentur ad aures!
Libera nunc primum atque odium spirantia iustum.
Haud equidem ignoro verbis non posse moveri
Cor illud, triplici quod stat tibi robore cinctum;
Sed quum tu tot mille homines, sine iure, cruenta
Perdideris feritate, leve est mihi perdere verba.
Qualis in obscuro latuit qui carcere servus
Innocuus, longo post tempore liber in auras
Mittitur, et totum mulcent nova gaudia pectus;
Sic oculis vix credo meis, sic cuncta videntur

Somnia, et oppressam spes fallax ludere mentem.
Imo ita. Vera fides. Tu tantum evectus in altum es
Sorte levi ut caderes olim graviore ruina.
Sacra sit illa dies, humanae inimica saluti,
Corsica qua nudis edi te vidit in oris.
Tunc sidus texisse ferunt per nubila Phoebum,
Monstra Thyesteae veritum redeuntia mensae.
Lunaque sanguineo fulsit suffusa rubore,
Terribilisque armorum auditus in aëre clangor.
Huius in exortu gemuit miserabile tellus,
Qua patet, Europea. Caput quoque Nilus ab undis
Extulit, attonitus tam dira strepente tumultu.
At te infelici vixdum de matre cadentem
Sustulit et colubris mulsit crinita Megaera;
Uberaque Alecto admovit distenta cruore,
Mille tibi inspirans sceleratas sedula fraudes,
Mille nocendi artes, odium implacabile, pectus
Cui placidam ludus bellis turbare quietem,
Falsaeque abreptum in transversa cupidine laudis,
Audax in mundi posuisse tropaea ruinis.
Infelix Ludovice, furentis victima plebis!
Tune foves etiam hanc pestem puerilibus annis,
Te contra illius sortem miseratus egenam?
Quem foveas demens, nescis, rex optime, nescis.
Perdet, ubi incaluit, te vipera dira veneno.
Ecce tuos contra, tibi qui mansere fideles,
Arma capit, sociasque in mutua foedera gentes.
Ac tandem, per caedem et ferro robur ab ipso
Accipiens, populo imponit, quis crederet? ausus
Cingere Caesareo sacros diademate crines.

Mille tibi inspirans) R. margini adscripsit *instillans*.

Felix, si placida potuisses vivere pace,
Napoleon felix! scelerum sic ausa tuorum
Letheis Europa olim mersisset in undis.
At nunc te famae et regnandi dira cupido
Ex aliis alias iussit male perdere gentes.
Antiqui splendoris Iberia triste sepulcrum,
Virtutum miseranda cinis, miseranda virorum,
Culpa tua est. Per te Germania diruta, et omnes
Quas plus quam Gallo pressisti foedere gentes.
Nos sumus et monumenta tui aerumnosa furoris.
Ah! quid nunc nostrorum opulentia nota parentum,
Quid nunc divitiae, nisi avari praeda latronis?
In cariem versae longo squalore carinae
Non audent pelago se credere, civibus urbes
Nudatae et domibus, pullaque in veste parentes
Lugent ereptos sibi per scelera ultima natos.
Religio amisit priscum veneranda decorem,
Et levitas mores infecit Galla Batavos.
Sancta Themis, peregrino uti sermone coacta,
Spectabat stulta violari templa caterva.
Pellere tentasti nostro ex Helicone Camenas,
Saecula barbariae reparans, lucemque perosus.
Quid tibi vis, insane? Putas nihil esse deorum
Numen, (ut in Phariis Christum quoque diceris olim
Eiurasse oris,) finiri cuncta sepulcro
Credis, et hoc ultra aeternum regnare soporem?
O quanti tibi constabit tam perfidus error!
Illa dies veniet, triplicis qua machina mundi
Corruet, exspectata bonis, formido malorum.
Tunc tuba terribili resonans nos aere vocabit,
Quaesitorque Deus vitas et crimina discet.
Quid tibi tunc animi credis, scelerate, futurum?

Noxia quas propriis tua mens exterrita monstris
Condet in ossa faces, quam saevo haec igne perurent!
Ah! miseret me pene tui. Quo lumina vertes,
Natalemque tuum quibus exsecrabere diris?
Nulla fuga. Accusant iustis et mille querelis,
Mille reum te caedis agunt, scelerumque dolorumque
Et quaecunque homines possint violare deosque.
Tunc quoque nos carum quaeremus, barbare, fratrem,
Ante diem per te crudeli funere raptum.
Atque inter lacrymas et singultantia verba
Amplexi ante oculos ducemus iudicis. Et si
Irae, si locus est illic odioque tyranni —
Sed quid ego haec? Ignosce Deus. Tu videris ipse:
Iudicium humanis solus de rebus habebis.

GULIELMO BELGARUM REGI.

(QUUM CONSTANTINI HUGENII DE VITA PROPRIA SERMONES EI DICARET, A. MDCCCXVII.)

Si vacat a magnis paulum secedere curis,
  Quas tibi dant populi res, Gulielme, tui;
Suscipe, pacato, quo suscipis omnia, vultu,
  Mentis dona piae nec simulantis opus.
Haec etiam Hugeniae monumenta senilia Musae
  Sunt ab Arausiaca non aliena domo.
Hic fidei exemplum mater Colinaea legetur,
  Per scelus illa suis bis spoliata viris.
Mauritium invenies, belli qui fulmen Iberi,
  Vindictam patriae sumsit ab hoste necis:
Oppidaque Henricum capientem ultricibus armis,
  Moribus ut cives et bonitate suos.
Occurrent varia bini virtute Wilhelmi,
  Gestaque Nassavia sceptra Britanna manu.
Principibus placuisse tribus Zulichemus, et illos
  Hollanda potuit demeruisse fide.
Pace sinu ducis et media vivebat in aula,
  Spargens Cecropio seria docta sale.
At si bella ducem et rabies Hispana vocarent,
  Castra etiam et lituos qui sequeretur erat.

O quoties lentum doluit sua villa morari,
  Et procul Hagano posse manere solo:
Ille peregrinis dum late errabat in oris,
  Anglia sive tuis, Gallia sive tuis!
Ausoniisque, et quas longa est mora dicere, nam quae
  Hugenio tellus non adeunda fuit?
Stella sibi interea sola cum prole relicta,
  Moerebat tristes tardius ire dies.
Sed patriae proavisque tuis dabat omnia, amicis
  Multa, suae domui pauca, sibique nihil.
Hugenios utinam in fidis, Gulielme, Batavis
  Invenias multos tuque genusque tuum!
Sic, nisi te salvo, nunquam res nostra vigebit,
  Nec, nisi Nassavia stirpe cadente, cadet.

P. H. Peerlkamp.

E. A. Borgeri Carmen ad Rhenum, Latine redditum A. MDCCCXXI.

Vid. supra pag. 45 sq.

P. HOFMAN PEERLKAMP

S. D.

GERARDO CONRADO BERNARDO SURINGAR,

DOCTORIS MEDICI GRADUM CAPESSENTI,
A. D. II IUNII MDCCCXXIV.

Ut tenera in nitidi stans arbor margine rivi
Occulto crescit, vertice recta, die.
Tunc, si illam pulcri soles atque aura salubris,
Et manus artifici docta labore iuvat,
Induit in densos iusto se tempore flores,
Miscens purpureis lilia cana rosis.
Mirantes taciti stant circum innoxia pubes,
Et digitis numerant dulcia poma suis.
Atque aliquis venerans, animo maturus et annis,
Naturae, in cultu divite, laudat opes.
Ante alios blandae impletur dulcedinis, a quo
Deposita haec arbor parvula virga fuit.
Talem te primis crescentem vidimus annis,
Bernarde, ingenii talis imago tui est.
Talem te viridi monstras in flore iuventae:
Talem te possit cernere Leida virum!
Illa suo iam nunc, et iure, applaudit alumno,
Et pressa in pulcro tramite signa notat;

Quae toties e difficili certamine laudis
  Victorem vidit te retulisse pedem.
Sic igitur te serta decent viridantia lauri,
  Quîs meritum ornavit lux hodierna caput;
Illud, ubi pergat servare modestia sedem,
  Fida comes reliquae, quod fuit ante, viae,
Et nunquam Phoebi frondes et praemia nunquam
  Officient rectis aurea luminibus.
Et perget. Quis enim patria mutare relicta
  Incitat externos te novus ardor agros?
Non, ut Borbonii mirere palatia regis,
  Nec loca, quae flavis Sequana mordet aquis;
Nec mores discas, quos gens habet ista, politos:
  Nobis simplicitas nostra Batava sat est.
Nobile materna hospitium pietate, Deoque
  Sacra domus, studiis sunt magis apta tuis.
Hic, ubi naturae facilis manus exuit arcta
  Vincula, Lucinam nec paritura vocat.
Hic, ubi deponunt miseri immedicabile vulnus,
  Mirantes factos ad nova crura pedes,
Hic tu oculos animumque exemplis instrue multis,
  Iudicium exacuat copia tanta tuum.
Te reducem, et cumulo doctrinae divitis auctum,
  Praemia virtutis, quae mereare, manent.

CARMEN

RECITATUM IN AEDE S. PETRI

A. D. VIII. FEBRUARII MDCCCXXV.

ANNO A CONDITA LEIDENSI ACADEMIA QUINQUAGESIMO ET DUCENTESIMO.

Esse hominem tanti est? an vita, simillima somno,
Corda per assiduos territat aegra metus?
Nascimur, et teneris inhiat Mors aspera cunis,
Et circum rabidas fert sine lege manus.
Ille operi insudans prolem sustentat egenam,
Dum panem tepidis saepe rigat lacrymis.
Hic petit, adverso sed non sine vulnere, laurum:
Laurus at humano foeda cruore rubet.
Aonides colis? ante diem properata senectus
Te manet, et nullo fonte levanda sitis.
Rem populi cura! stipata satellite multo
Invidia, indignas excubat ante fores.

Emensae tandem post tot mala taedia vitae,
Omnibus, heu nunquam lux reditura, cadit.
Quis nostrûm adspiciet, si sol, labentibus annis,
Hunc iterum Eöo portet ab axe, diem!
Quem iuvet, humanae obiicias ea crimina vitae,
Quodque vocas, tolera non patienter, onus.
Non te, non talem Hollandi genuere parentes.
Absit ab ingenuis moribus iste furor!
Esse hominem tanti est, tanti, de stirpe Batava.
Aeterna haud uno nomine turba sumus.
Cognati has animas tangunt commercia coeli:
Imperio fatum supposuere suo.
Pulveris exigui ducit Libitina triumphum:
Posteritas ipsos cernit adesse patres.
Heic vivunt. Heic se dant clara in luce videndos,
Et sacra umbrarum vox mihi in aure sonat.
Hoc, quodcunque vides, quoquo vestigia vertis,
Quidquid agis, magnos cuncta loquuntur avos.
Laudabunt alii vestitos frugibus agros,
Pinguia et innumero fervere prata bove;
Dum maria iniectas frustra indignantur habenas,
Et fluvii, cursu quo iubeantur, eunt.
Ducent Hollandas, Phoebo mirante, carinas,
Qua nulla humanum semita vidit iter.
Mirabuntur opes et pondera divitis auri,
Structaque in instabili tecta superba solo.
Et Paupertati sacrata palatia. Cultum
Immensas vitae simplicis inter opes.
Litora magnifico ornabunt Neoporta tropaeo:
Et Thamesin fractis cornibus isse canent.
At me si placido spectarent lumine Musae,
Leida opus Ausonii carminis una fores!

Dicite magnanimi heroës, quis pectora circum
    Aere atque invicto robore vestra dedit?
Unde ea, quae solidas tenuit constantia mentes,
    Unde, peregrino fabula visa, fides?
Est aliquid parvis defendere moenibus hostes,
    Quos Europa graves territa sensit heros.
Est aliquid cives duro concurrere ferro,
    Armaque non sueta Martia ferre manu.
Sed prolem et teneras matres animam exhalantes
    Perque vias urbis cernere, perque domos;
Sed Stygiam exhaustis pestem sentire medullis,
    Atque oculos aegre tollere posse cavos;
Et tamen intrepidum caput obiectare periclo,
    Vix erat humanae conditionis opus.
Non hoc suadebat laudis malesana cupido,
    Ut natis nati facta referret avus.
Aut signa in templis ostendere posset Ibera,
    Et tenuem augeret barbara praeda domum.
Vivere, iuratae vitamque impendere legi,
    Gloria magnanimis sat fuit ampla viris.
Sic rubeant dextrae hostili et frons pallida tabo:
    Et fronti et dextris convenit iste color.
Hoc deus aetherea spectans certamen ab arce,
    Virtutem pretium iussit habere suum.
Atque ait: »Obsessis, Euro stimulante profundum,
    Auxiliatrices ferte levamen aquae."
Erigit indomito fluctus in vortice Rhenus,
    Neptuno incedens lata per arva comes.
Numinis et plenus, cunctas supereminet undas,
    Civili agnoscens digna tropaea suo.
Salve, Leida, tuae felix virtutis. Et a te
    Sume animos. Salve. Libera terra tua est.

Libera terra tua est. Et grato sacra nepoti:
Sparsa patrum lacrymis, sanguine sparsa patrum.
Cinge merens viridi tua tempora cinge corona.
Te decet e tali lecta corona solo.
Quam placide spirantis alat Iovis aura. Nec atri
Decutiant imbres decutiantque nives.
Iam tibi mercedem, factis ingentibus aequam,
Offert Nassavia patria laeta manu.
Musarum domus es. Leidaeque a fonte profecta
Piëris Hollandos lympha rigabit ăgros.
Quid Gulielme facis? Sic vis tibi nota Philippi?
Nempe inter lauros serpit oliva tuas!
Horrida funesti flagrant incendia belli.
Non unus diras intonat Alba minas.
Intonet. Et belli flagrent incendia. Rupes
Non a spumiferis dura movetur aquis.
Ut, quum terrifico luctantes turbine venti
Nubila per coelum fulminis instar agunt;
Saepe nitens faciem Diana ostendit amicam,
Dum niveae currus astra sequuntur herae.
Sic placido risit victrix constantia vultu.
Risit. Et, o Superi, quis fuit ille dies!
Quo primum pietas ausa est deducere simplex
Lugdunum sacras ex Helicone Deas.
Phoebus arenosos, vix altior aequore, colles
Nordvici pulcro lumine contigerat;
Et iam festivo cantu hoc laqueare sonabat,
Tangebantque bonum vota sine arte Deum.
Arrecto heic vultu stabat manibusque supinis
Dousa, iterans tacitis publica verba labris.
Et sibi clam rigido lacrymam detersit ab ore,
Permoto mira pectore laetitia.

Heic, oculis augusta et maiestate verendus
Ille, modo afflictae firma columna rei,
Qui sua, quum rabidae peterent pacemve cibumve,
Obtulerat siccis membra voranda gulis.
Heic alii heroes. Illic pia turba virorum,
Quos vellet cives libera Roma suos.
Gaudia si ad superas surgant mortalia sedes,
Quae de sincero pectore rivus agit;
Iucundo aligerae vultu risere choreae,
Astraque coelestes personuere modi.
Parva fuit, si rem repetas ab origine prima:
Spes tamen in parva non mediocris erat.
Vidisti tenuem in montis radice scatebram,
Ut serpit tacito per loca sola pede;
Mox autem occultis vires capit incrementis,
Flumine perque urbes volvitur et populos?
Sic patrum sibi sufficiens, atque indolis altae
Conscia mens, coeptis omina laeta tulit,
Hinc fore, qui peterent integra e fronde coronas,
Qua nunquam humanum splenduit ante caput.
Evenere. Novos habuit Medicina triumphos;
Vim minui doluit Mors truculenta suam.
Barbariae domitrix ausa est ostendere sanctas
Europae leges et sua iura Themis.
Thesauros pandit dives Natura reclusos:
Astriferae mundi nec latuere viae.
Quid referam lectas Libani de vertice palmas?
Ductaque per sacros orgia casta choros?
Hic Roma et doctae laetum potuistis Athenae
E cinere et bustis exseruisse caput.
Et nunc, post varios rerum casusque vicesque,
Felici rediit alite festa dies.

Statque domus, monumentum ingens pietatis avitae,
Augustumque infert nubibus alta caput.
Hic foeda horrisono stridens aquilone procella,
Perdidit hic vires fulminis ira suas.
Hinc miseros olim lacerans discordia cives,
Implexas atro dum quatit angue comas,
Pallida crudeles oculos detorsit. Olivae
In summo agnoscens germina prima tholo.
Quid Franci asperius tulimus feritate tyranni?
Napoleo hic melior Napoleone fuit.
Et qui demissis domino cervicibus ibant
Servi, sacrilegas abstinuere manus.
At si fatali monstro furor iste veniret,
Qui patriam Oceano reddere posset, erat.
Mergite, quam quondam stupefacto lumine Phoebus
Tellurem e domitis surgere vidit aquis.
Dedecus hoc seros transmittet fama per annos;
Et nulla immensi diluet unda maris.
Navita praeteriens »Fuit hoc Hollandia" dicet:
»Demersa hic Corsi crimine Leida stetit."
Incolumes sumus, et versis, Deus optime, fatis,
Servasti patrios in meliora Lares.
Atque aquilae nostram Francae videre iuventam
Bellica non timido pectore castra sequi.
I nunc, elato te vende Superbia fastu,
Atque inhia obliquis Livor iners oculis!
Leidensis spectat Capitoli immobile saxum
Europe placidis aemula luminibus.
Hanc habitat sedem priscis adamata Batavis
Simplicitas, propriis sueta nitere bonis.
Circumstant maiorum Umbrae, et Reverentia magni
Nominis, et vigilat sanctus in arce Pudor;

Perpetuosque afflat generosis mentibus ignes,
Quîs tantum, a proavis degenerasse, mori est.
Mortem aliam ignorant. Ut hyems per amoena vireta
Nil praeter frondes quae spolientur, habet:
Ipsa suis secura vigens radicibus arbor,
Vere novo in gemmas pullulat usque novas;
Naturae aeternam sic Te, Brugmanse, iuventam,
Et nunquam exhaustas parturientis opes,
Dum populo ostendis miranti, spiritus egit
Per loca mortali non penetrata pede.
Quamvis angusto subduxeris aurea mundo
Pectora, et ignavam spreveris altus humum;
Quum Zephyri notis in floribus aura susurrat,
In Zephyris animam credimus esse tuam.
Catvicum qua Rhenus aquas effundit in aequor,
Borgeri cineres mollis arena tegit.
Parte sui inter nos vivit meliore superstes,
Ante diem meritis ingenioque senex.
Et caput ornatum lauro septemplice cernunt
Qui pulcro aeternae laudis amore calent.
Hoc, Kempere, recens tua continet ossa sepulcrum:
Te servat grato patria tota sinu.
Hollanda integritas per pectus amabile spirans,
Et pia mens duris cognita temporibus,
Labitur has nebulae candenti infusa per auras,
Quaque venit, sacro nota calore venit.
O animae illustres, magnorum antiqua parentum
Nomina, in Hollando non moritura solo,
Cernite qua ducat nostros dulcedine sensus
Ingenuus priscae nobilitatis amor.
Quod pulcri facimus, manet aeternumque manebit.
Auctores sequitur gloria tuta suos.

Tuque adeo, Guilielme, rei spes optima nostrae,
Atque ingens populi, Te venerantis, honos!
Tu patriae laudis multos sis testis in annos,
Quod facis, Aonias et tueare Deas.
Hoc a Te tua Leida petit. Nam, ignosce fatenti,
Optime rex, generis Leida propinqua tui est.
Primus imaginibus fulget Gulielmus avitis,
Quem recta, ut caro nomine, mente refers.
Libera quum portis spirabat Leida reclusis,
Lux illi nunquam venit amabilior.
Hac sola innumeras pensabat luce tenebras,
Percurrens vitae tristia multa suae.
Ex oculis lacrymae cecidere tumentibus. Et se
Vix potuit grandi mens capere alta sinu.
Vidit in hoc uno multos simul ire triumphos,
Et Leidam patriae cum patre iunxit amor.
Transiit ad generis seros amor iste nepotes.
Nec dici haeredem te, Gulielme, pudet:
Heic ubi Mauritii doctas formata per artes
Mens dubiam rexit per freta saeva ratem,
Tu quoque discebas viridanti in flore iuventae,
Quo patriae posses utilis esse tuae.
Aspera fata diu et grassans sine lege tyrannis
Invidit patriae te patriamque tibi.
Divulsos iterum iunxit Deus ipse. Reditque
Nassavia crescens nostra salute salus.
O ita tu, per quem nobis licet esse beatis,
Communi vigeas dives amore senex!
Libera Arausiacam tua per vestigia stirpem
Belgica praeclarum carpere spectet iter.
Tum quoque, tum felix hunc Leida redire videbit
Auspicio semper candidiore diem.

Tum multi hoc linquent non sicco lumine templum
Unaque vox gratae posteritatis erit:
»Esse hominem tanti est, tanti, de stirpe Batava.
»Aeterna haud uno nomine turka sumus.
»Ossa habeant veteres Delphi regalia. Nati
»Moribus hic referunt et pietate patres."

CARMEN ELEGIACUM

DICATUM

COLLEGIO SPEI NAUTICAE AMSTELODAMENSI.

MDCCCXXXI.

IN STIPEM TURRI SPEYKANAE.

Ille ego qui placidae ducebam tempora vitae,
Arbitrio ponens otia grata meo;
Per nemora Aonidum et viridantia prata vagatus,
Castaliae murmur dulce sequebar aquae.
Qui modo nectebam flores in serta pudicos,
Ut meriti ornarem civis honore caput.
Quemque tui immemorem nunquam videre Camenae,
Rex bone, rex populi, te venerantis, amor.
Qui modo gaudebam docili monstrare iuventae,
Quo laudi Hollandae calle pateret iter.
Nunc odi Musas; sordet mihi prisca voluptas.
Nil iuvat. Ignavi stant sine sole dies.
Laetitia exturbata omnis de pectore cessit;
Et sua mens animi non capit ipsa mala.

Flere lubet, si flere virum lacrymaeque decerent,
Aut lacrymas tantus posset habere dolor.
Scilicet hoc etiam vobis debebimus, amens
Turba, Cethegorum propudiosa cohors!
Hoc, Catilina, tibi! Patiens ut crimina tanta,
Diraque tranquilla taedia mente feram!
Non ego lentus in hoc. Agitati pectoris ignis
Exeat. Et mihi fas libera verba loqui.
Quam clausit vocem dolor, indignatio rumpat.
Audiet hos aliquo tempore Belga sonos.
Nunc Musas, et quidquid erat pulchrique bonique,
Eiectas turpi iussit abire fuga.
Consilium coeco nunc mens lymphata furore
Respuit, et surdis auribus ista cano.
Sed veniet, veniet, qua vera fateberis, hora:
Et scelerum inficiet conscius ora pudor.
Ultricem post terga vides tua, respice, Poenam:
Festinat claudo te sequiturque pede.
Paupertas et dira Fames comitantur euntem,
Incessuque humilem Fraus simulante gradum.
Luctusque, Impietasque Superstitionis amica,
Quaeque Erebo peperit Nox fera monstra suo.
Cernis ut intentet dextra minitante secures,
Ventilet et piceas concutiatque faces.
Exsangues fugiunt matres, et ad ubera natos
Arctius innocuos, pignora cara, premunt.
Avertunt oculos melior pars, et sibi dicunt:
Belgica, tam felix Belgica nuper, ubi es?
Quae rerum facies miseranda, quis ingruit horror!
En, qua Poena venit, quam furibunda venit!
Hic flamma superante domus consumitur. Illic,
Non ita quaesitae, diripiuntur opes.

Parte alia infelix laniatur corpore toto,
Nec superest caedi vulneribusque locus.
Atque inter clamorem atque horrendos ululatus,
Plebs fruitur mortis suppliciique mora.
Ecce furit pannis et sordibus obsita turba,
Tristis ieiuno pallor in ore sedet.
Dumque novum exspectat, qui dividat arva, Lycurgum,
Nec bona privati iuris habere sinat:
Omnibus interea dominatur in aedibus, et se
Alterius, nullo vindice, rebus alit.
Fas et iura silent. Leges sunt nomen inane.
Religio et pietas fabula. Turpe nihil.
Grassatur miles civi metuendus, amatque
Fallere iuratam per sua signa fidem.
Coeruleasque stolas, Iacobinosque galeros,
Et vultus Mavors horruit ipse truces:
Innocua immittant diras ne in viscera dextras,
Ebriaque exhausto labra cruore lavent.
Digna Hunnae soboles plebis, plebisque Mogolae.
Attila tu melior, tu quoque Timur eras.
Haec, haec est vestri merces praeclara triumphi,
Pottere, et Cellae flagitiose comes!
Haec tua laus, Stassarte; tua haec, Brouckere, tropaea;
Mobilis, hi tituli, Gendebiene, tui!
Vicisti, mendica cohors, sacra nomina, quae iam
Tradere Lethaeis Belgica mallet aquis.
Foeda Parisiacae sic te contagio pestis
Traxit, et impurum, te praeeunte, gregem:

Pottere, et Cellae, cet.) Praecipui seditionis et turbarum sive auctores sive adiutores, *De Potter, De Celles, Stassart, Brouckere, Gendebien,* ut et qui infra nominatur *Silvanus,* id est *Silvain van de Weyer.*

Et populum falsis docuisti vocibus uti,
Involvens dulci tetra venena favo:
Ut sese in sella iactaret scurra curuli,
Atque ageret partes grex Loiolita suas.
Et rabula, incauto vendens deliria Belgae,
Corriperet subitas, improbus Irus, opes.
Belgica iam centum iusto pro rege tyrannos
Accipis, et turpi das tua colla iugo.
Iam Silvanus habet cupida quod mente petivit:
Irati explerunt turpia vota Dei.
Quemque hodie ad summum culmen vexere iocantes,
Hunc iidem lapsu cras graviore ruent.
I nunc, composito vultu te finge beatum,
Non poteris curas effugere ipse tuas.
Nam quidquid facias, quoquo vestigia flectas,
Te vigil excruciat subsequiturque metus.
Destrictus pendens cervicibus imminet ensis.
Suspice. Letiferum seta remittet onus.
Ora boni cives te procedente retorquent,
Opprobrium et patriae perniciemque vocant.
Audi indignantum voces et murmura, quae non
Usque minis nec vi, nane superbe, premes.
Haec tibi praedicunt diram, Silvane, procellam,
Haec capiti spondent fulmina mille tuo.
Parce tamen lacrymis et femineo ululatu.
Olim mors gravior crimina foeda manet.
Vivendo vinces tua fata, Tibique superstes,
Errabis patrii limitis exsul, inops.
Et populo digitis a praetereunte notatus,
Quaeres nocturnis abdere te tenebris.
Saepe voles laqueo cervicem illidere. Sed te
Destituetque animus destituentque manus.

Nulla quies oculos veniet componere fessos.
    Vulturis assiduo roditur ungue iecur.
Frustra etiam parvam, ceu fur, irrepis in aedem:
    Te manet ante aedis saeva Megaera fores.
Tandem amens animi atque exhausto corpore, fassus
    Peccata, et Sanctos nomine mille vocans,
Atque inter gemitusque precesque et murmura, quondam
    Irrisae repetens signa iterata crucis:
Velabis nigro caput exitiale cucullo,
    Inque flagellantum conspiciere choro.
Plutonem haud fallis. Iam te, Silvane, cucullo
    Exuet, et capiti detrahet ille dolos.
O quae Tartareas recreabunt gaudia sedes,
    Qualis in infernis nox erit ista locis!
Cocytus subito fluctus attollet inertes.
    Latrabit triplici gutture dulce canis.
Laetus et Ixion volucrem non sentiet orbem.
    Arenti effundet Tantalus ore melos.
Hic libertatem iacta et civilia iura.
    Huic populo eloquii grandia verba tona.
Aeternae turba tranquilla silentia noctis.
    Iam vindex Minos et Rhadamanthus erit;
Quum tonsum superis agmen descendet ab oris,
    Digna Sacerdotum teque tuisque cohors:
Et capita inflata atque abdomina ventris obesi,
    Et peda cum mitris transvehet una ratis.
Prospiciunt cupido iam lumine Belides, ut se
    Alterno pinguis turba labore iuvet.
Arma tamen miserae deponite. Nulla timoris
    Causa. Procax faciet grex sine teste nihil.
Custodes Damianus erunt, prolesque Gerardi
    Balthasar, et Clemens cum Ravalace suo:

Atque aliae pestes, monstra infelicia, quorum
Armavit sicis gens Loiolita manus.
Gens hominum infamis, saecli sentina pudorque,
Mundi odium, Europae nunc quoque visa gravis.
Hydra furens, toties secto quae corpore, semper
Plenius attollis colla per atra caput.
Quae formas mille, ut Proteus, et mille colores
Sumis et ornatus mille nocenter habes.
Quando erit ut laeto redeat concordia vultu,
Atque habitet fesso dulcis in orbe quies?
En iterum Europa, offuso terrore metuque,
Et male turbatis sensibus, arma fremit.
Borbonius Francos Franca levitate fefellit,
Calcans periuro fasque fidemque pede.
Scilicet ut noctem posses celebrare, beavit
Maiores meretrix qua Medicea tuos.
Ille quidem longe patriis a finibus exsul
Sacrilegae poenas proditionis habet.
Una tamen clades levis est tibi. Iamque nefanda
Ultores Carolo calliditate paras.
Dantonesque novi, formidandique Marati
E latebris tollunt, te stimulante, caput.
Divitias aliis, aliis ostendis honores;
Invisi rivos sanguinis ille sitit.
Hunc capit heroae fallax virtutis imago.
Praeceps libertas huic sua magna Dea est.
Faiettum insanae exagitant praeconia plebis,
Et puerum faciunt tempora longa senem.
Somniat hic veteres sub Napoleonte triumphos,
Et patriam angustis finibus esse dolet.
Omnibus at mentem penitus descendit in altam
Victa bis hostili natio magna manu.

Impositae et pacis leges et fracta tyrannis,
Et merito furtis urbs spoliata suis.
Has belli turbata faces et semina nutrit
Francia, et hos ignes parva favilla tegit.
Pestiferam admoveas animam, Loiolita, manusque.
Surgat in aetherias flamma corusca plagas.
Ardentes totum scintillas sparge per orbem.
Cum superis homines et Phlegethonta move.
Et bene habet. Polona palus iam sanguine fumat:
Iam Vistnla suis decolor ivit aquis.
Iam resonat clangore tubae pulsata Pyrene,
Martiaque in celsis Alpibus aera canunt.
Non maria effrenum sistunt spatiosa furorem,
Protenus Hibernos quin populetur agros.
Te tamen ante omnes, mea patria, tristis Erynnis
Immeritam afflixit pro pietate tua.
Dicite, Calchantes, quid fecimus? Unica nostra est,
Si tamen haec culpa est, culpa fuisse bonos.
Non sat erat poenae fratres habuisse Brabantos,
Quos nemo servos vellet habere suos?
O regum infelix favor, o fatalia dona!
Palladiae nobis hoc fuit artis equus.
At Belgis dedimus dextras et foedera Belgis
Iunximus Hollanda, gens sine fraude, fide.
Accipiunt patriam qui nunquam habuere. Sereni
Lucent, Nassavio sceptra tenente, dies.
Hic nova templa, illic augusta palatia surgunt.
Hic facilis celeri sternitur arte via.
Labuntur ducti non notis flexibus amnes.
Artifices lassat provida cura manus.
Incessu tutus bos prata perambulat alto.
Tellus dat flavae spicea serta Deae.

Fervet opus. Pleno se ostendit Copia cornu.
Non capiunt cives oppida laeta suos.
Adspice Bruxellam, Europae mirantis ocellum,
Et terga innumera Scaldis onusta rate.
Audet desertas innupta revisere sedes
Pallas, et Aonii ductor Apollo chori.
Libertas valet hoc et iusto vindice leges,
Magnanimo hoc veniens corde paternus amor.
Ille amor in Belgas sic saepe effusus, ut olim
Coniugii mater pignora parva fovet.
Pertulimus nostris ingratos crescere damnis,
Ut mens coniuncti corporis una foret;
Vincire et binas stabilis concordia gentes,
Et Belga Hollandum posset amare suum.
Iamque adeo haec laetos spondebant semina fructus,
Quos legeret sociae stirpis uterque nepos.
Sed gens humana et dives, gens libera vere,
Serva sacerdotum nulla manere potest.
Nec bene conveniunt tenebrae cum luce. Metusque
Ille Quirinali semper in arce fuit.
Iam stipatus adest Loiolita satellite multo.
Vincula amicitiae dilacerata iacent.
Ilicet hinc dulcis spes intercepta recessit:
Irritaque aërii vota tulere noti.
Officium ingenuis fecerunt flebile Belgis,
Quîs nunquam tanti Roma superba fuit.
Sed vocem his clausit rabies vesana malorum,
Et secum taciti publica damna gemunt;
Dedecus et cumulum damnis accedere, Belgae
Ut sit vox ipso pene pudenda sono.
Interea, scelerata cohors, quae prima dedisti
Signa per astutae seditionis iter:

Instrue praeceptis mimos, ut fabula turpis
Bruxellae pulchro nomine possit agi.
Sparge per Europam dura mendacia fronte,
Lingua venenosos sibilet atra dolos.
Nassavium accusa, fictaeque tyrannidis artes:
Et quae fecisti crimina, nostra voca.
Lux veri emerget, discussa nocte, tenebras.
Ac tandem recident in caput ista tuum:
Formosae opprimitur nunquam fax aurea Phoebes.
Interdum obscuris tecta laborat equis.
Finibus a nostris Dî talem avertite mentem,
Hanc pestem a patria Dî prohibete mea!
Irrumpe Oceane, a falsis nos divide Belgis,
Et fluctus medios dividat altus agros.
Perpetuum ut faciat, quod fecit dira libido,
Natura hoc etiam limite discidium.
Quid mihi, vae nimium vicina Brabantia, tecum est?
Non hominum Divis impia facta placent.
Magnificas urbes tibi habe, pagosque superbos;
Antiqua haec nobis patria magna sat est.
Hoc natale solum, Europaeique angulus orbis
Nos iuvat, et sancto ducit amore sui.
Ingens magnorum est monumentum et munus avorum,
Naturam atque hostes qui domuere suos.
Alma fides habitat cum libertate. Beata
Exiguo, partas vita tuetur opes.
Profusa hoc uno, si patria postulat, aut quos
Paupertas, quamvis non meruere, premit.
Omnia sic gentem noverunt saecla Batavam.
Haec facit ad mores, Belgica vana, tuos?
I, Francis te vende, bono te vende Philippo.
Abnuit, et nunquam vos bene credit emi.

Arma para, Europae toti minitare. Gigantes
Bracchia in adversos vana movete Deos.
Ludibrio est stulti ventosa superbia fastus;
Lingua nihil, quae sic parturit usque, parit.
Quod si tantus amor virtutem ostendere vestram,
Nec capiunt ignes Martia corda suos;
Quid dubitas? En hostis adest, en castra tubaeque.
Iam prodi e latebris insidiisque palam.
Cerne Batavarum fluitantia signa cohortum,
Deque tuo invisas litore cerne rates.
Donare inferias sociorum manibus ardent,
Perfidia et turpi qui periere dolo.
Stant iuvenesque virique, Hollandae robora gentis.
His dudum in fures impetus ire fuit.
Idem animus, iustaeque eadem fiducia causae est.
Hinc retrahe impuros, perfide Belga, pedes.
Non tibi de gleba non cespite cedimus uno.
Hac patrum haeredes conditione sumus.
Hic pueri caros reptavimus ante Penates,
Hic maneant fessos tuta sepulcra senes.
Hoc fixum immotumque sedet. Sic prodiga vitae
Corda gerunt, patriae sic animosa mori.
Talis sulphureas urens in puppe cavernas
Evolat audaci Speykus in astra via:
Et secum ignavos generosa strage latrones,
Divolsos artus truncaque membra, trahit.
Audivit sonitum victricis Belga ruinae,
Et timida facinus nobile mente stupet.
Dissimulare quidem velit, et corrumpere laudes.
Nil agit; hic soliti destituere doli.
Ipse etiam apparet summis Neptunus in undis,
Tritonumque hilares Nereidumque chori.

Et placida imponens rapidis pater otia ventis,
    Dum tumidum Scaldin cuspide mulcet, ait:
»En iterum mihi cara meum gens navigat aequor.
    Agnosco antiqui sanguinis acre genus.
Magnanimi heroes, quae vos tam pulchra tulerunt
    Tempora? Quos croceo sol vehit axe dies?
Felices magnosque dies, quîs iura tridentis
    Hollandis potui credere tuta meis?
Tuque adeo iam nunc ingens florentibus annis,
    Decreta iuvenis morte perire ferox!
Macte animi talis, prisci miracula saecli
    Qui Decios nobis Thermopylasque refert.
Irruit Austriacas sic Winkelriedus in hastas:
    Claudiaque Hispanas vindicat ira minas.
Respice ab Elysiis, iuvenum fortissime, campis,
    Namque ibi te patriae nunc quoque tangit amor.
Civibus haec virtus totos infusa per artus
    Non exstinguendas condit in ossa faces.
Vivere pro patria, patriaeque impendere vitam
    Iurarunt. Factus spes sibi quisque sua est.
O felix leti et tantae mercedis! Honorum
    Dona tibi possunt non meliora dari.
Interea tua facta canunt, qua Phoebus Eois
    Surgit, et Hesperias vespere visit aquas.
Iam video Pharias Egmundae in litore flammas
    Clarum e marmorea spargere turre iubar.
Hanc gratus cum rege pio tibi dedicat aram
    Civis, in his flammis publicus ardet amor.
Nocturnis quoties transibit nauta tenebris,
    Placabit manes thure meroque tuos.
Salve heros, cuius quondam docuere parentes,
    Imperium populi nullius esse mare.

Trompia iam rediit, Ruteraque et Heynia virtus.
Classis ubi? Oceanum qui tueantur, erunt."
Sic ait: immenso sonuerunt aequora plausu,
Tritonum clamant Nereidumque chori.
Erigit Oceanus vastos in gurgite fluctus,
Atque gravi assensus murmure signa dedit.
Implevit rauci vox litora Franca fragoris,
Et Britonum niveis rupibus icta redit.
Moestus arundineas Scaldis caput abdit in ulvas,
Missaque de cubito vertitur urna suo.

NOVUM CARMEN LATINUM

DICATUM

COLLEGIO SPEI NAUTICAE AMSTELODAMENSI.

MDCCCXXXII.

Necesse est, suomet ipsi more praecipites eant.
SALLUSTIUS.

Sat lacrimis iraeque datum. Non Belgica tanti,
 Nec cum Faiettis Francia tota fuit.
Iam vetus Hollando rediit constantia cordi,
 Quaque decet patiens taedia mente fero.
Quod dolui, doluisse pudet. Si dicere fas est,
 Infelix, miseret me, Leopolde, tui.
Ite, agite hiberni procul uno turbine venti
 Tristitiam et cunctos litora ad Angla metus.
Spiritus Ausoniae si me regit ille Camoenae,
 Ut vates Musis non inhonora loquar:
Tu mihi cinge volens Phoebea tempora lauro,
 Lauro cinge meam, casta Thalia, lyram.
Non carmen Silvanus erit. Quis carmina curat,
 Qui dextra Europae fata potente gerit?
Non pestes, furiasque, et ademto lumine monstra,
 Non scelera, heu! plus quam Belgica, ut ante, canam.

Audiar Hollandi resonans in margine Rheni,
    Quid patriae duro tempore possit amor.
Rhene pater, terrae cognate ab stirpe Batavae,
    Quem fessum hic longa cernimus ire via:
Ante suos repetens, superatis Alpibus, ortus,
    Hadriacae excipient nobile flumen aquae:
Quam pura infami maculetur foedere dextra,
    Scribere et haec possit dedecus ipsa suum.
Vidisti intonsos, Cattum genus acre, parentes
    In nemora ulvosos et penetrare sinus.
Testis erat sanctae virtutibus insula vitae,
    Magnarum in cultu paupere dives opum.
Haec durae genetrix pubis, quae, laeta pericli,
    Sciret in oppositos pectora ferre viros.
Quam Roma optavit, domiti caput orbis, amicos,
    Illecebris potuit nec superare suis.
Esseda nervosos sensere Britanna lacertos,
    Calgacus et frameas non tulit ipse breves.
Libertas et cana Fides, mundo exsul ab omni,
    Trans fluvium in madidis tuta quievit agris:
Civilemque, humeris populi scutoque levatum,
    Afflarunt anima numinis ambo sui.
Hinc annis semper crescens volventibus aetas,
    Immemor haud potuit sanguinis esse sui.
Servitium et falsas periuri pectoris artes
    Odimus, indociles haec tolerare sumus.
Sic patria, indignis toties immersa periclis,
    Vexatum erexit pulchrior usque caput.
Ad Brederodeum pallet Margreta libellum.
    Nobilis haec aliquid, plus stipe, turba petit.
Nec tamen hoc magnum. Populo sua iura Philippus
    Reddat, carnifices abstineatque manus.

Quid miseros torques, et lento conficis igni,
    Albane, Asturio digne minister hero!
Egmundae iugula comites Hornaeque. Securis
    Continuo fauces expleat uda tuas.
Quaecunque e truncis stillat, mirabile! gutta,
    Haec libertatis fertile semen alit.
Cernite, Arausiaci procedit principis astrum,
    Et lux in coeco splendet amica polo.
Ac veluti mediis in fluctibus ardua rupes
    Mole sua insanae murmura spernit aquae:
Procera aut saevis agitata aquilonibus ilex,
    Radices semper fortior intus agit:
Sic Gulielmeae crescit constantia mentis,
    Sic ducit vires per nova damna novas.
Parva America tibi est, parva est Europa, Philippe,
    Inque novo spiras Escuriale Iovem?
Tune agitas mundi imperium totius? Avaras
    Trans freta tune audes porrigere alta manus?
Angulus exiguis, circumspice, finibus hic te
    Spernit, et est nimium terra Batava potens.
Contemtor leti populus non cogitur armis.
    Causa haec causa Dei est, invenietque viam.
Ille pater patriae immisso mactetur ab hoste,
    Insidiis captus, dire Philippe, tuis:
Patria non illo est elata in funere. Eisdem
    Ossibus exortus nobilis ultor adest.
Mauritium Oceani viderunt litora. Testes,
    In Neoportanis fixa tropaea iugis.
Oppidaque Henrico clausas reserantia portas.
    Regumque ex aequo foedere iuncta manus.
Quae tum miranti dedimus spectacula mundo!
    Vix oculis mundus credidit ipse suis.

Solis ab occasu volitantes solis ad ortum,
Hollandae expandunt candida vela rates.
Mercibus et fluvii et maria ingemuere. Beatus
Amstela in auriferis ibat, ut Hermus, aquis.
Gens undis innata, ferox contemnere ventos,
Cui sua navis erat patria, cuique domus:
Oceani haud potuit mortalem ferre tyrannum.
Libertas tali vindice tuta stetit.
Invidiae fuimus. Regis de caede madentes
Cromwellae arripiunt sceptra Britanna manus.
Quid patriam infelix Hollando litore mutas,
Stirps Caroli? Hinc alio traiice vela tua.
Traiice, si pudor est, alio tua traiice vela.
Heu quanto stabit sanguine nostra fides!
Sed, puto, gratus eris, liceat modo. Et illa rependes,
Plurima praestitimus quae benefacta tibi.
Scilicet ut serpens, diro quem frigore laesum
Sustulit a gelida forte viator humo.
Quam melius patrios sparsisses sanguine vultus,
Victima plebeio moesta furore cadens!
Non te posteritas infami labe notaret.
Haec iudex etiam regibus aequa venit.
Incolumis, Scotum sic te fortuna probavit,
Hospitibus bellum tristiaque arma paras.
Quo te mens, Carole, Hollandae rapit aemula sortis?
Impietas magno non placet ista Deo.
Scit mare, quod tabulis atque Anglo sanguine tectum,
Iam quarto vidit vos abiisse die.
En etiam subitae lucent incendia flammae:
Et ruit in cineres foeda Gomorrha suos.
Supplicium poena cumulant coeleste Batavi:
Et Thamesin fractis cornibus ire iubent.

Ferrea Chattamiae nil possunt vincla catenae:
Hollandae navi est invia nulla via.
Quid trepidas, fugitive? quid in tua flumina retro
Verteris? en hostis te reperire venit.
Ignis edax Britonum fluitantes corripit arces:
In mediis Carolus regia flagrat aquis.
Quo cecidit fastus nunc spiritus ille Britanni?
Ludibrium Europae quid, malesane, facis?
Iam satis expertae coëant in foedera dextrae.
Livoris tandem sit modus iste cruor.
Sed generis debes exemplum triste Stuarti,
Aspera transvorsum te quoque fata trahunt.
Mendacis Breda audivit periuria linguae
Turpia. Pax odium dissimulantis erat.
In nos conspira cum Franco, perfide, Xerxe:
Iamque animo Hollandas divide avarus opes.
Regnorum adspiciet classem Ruterus utramque:
Hic, sua spes, hostes non numerare solet.
Stabit et invictis prudens Cunctator in armis,
Hollandae gladius certaque parma rei.
Quem triplici quondam cingens diademate, longis
Anglia dissidiis fracta rogabit opem.
Deficiant parvae haud aequo certamine vires,
Cum ventis patriae militat unda meae.
En vada, piratae infames date lintea retro,
Texeliae refluis destituuntur aquis.
Concessit nulli Deus hanc exscindere gentem:
Concessit duris sollicitare malis.
Scilicet ut vultum spectata efferret, ut almum
Purpureo Phoebus quum vehit axe diem.
Ah! meriti, et nostra et luimus delicta parentum:
Poena tamen nobis utilis illa fuit.

Quo non perduxit coecos discordia cives?
    Hollandos levitas quo peregrina graves?
Vel patriae, referens horresco, vincere damno
    Civibus hinc venit civibus inde furor.
Hos tulerant fructus externi sparsa veneni
    Semina fallaci nostra per arva manu.
Tetrius haud unquam Lernaea fluxit ab Hydra,
    Nec diro Stygii sedit in ore canis.
Hanc etiam genuit formosa Lutetia pestem,
    Blanda quidem, at scelerum semper amara parens.
Contemtrix fidei, legum secura Deique,
    Qua, nunquam Europe, sospite, sospes erit.
Sic una urbs toti sine fine illuserit orbi,
    Praeque illa fuerit Francia tota nihil?
Horrida iam pendent plebeio a Stentore bella,
    Et pax, si Marius clamat ad arma, fugit.
Pone istos tandem importuna Lutetia fastus.
    Sera quidem, at duplici foenore poena venit.
Tempus erit, quando reges populosque pigebit:
    Dedecus exstinguet turpe ruina tua.
Eruta labentur palatia sedibus imis,
    Et cruor ardenti stridet in igne nocens.
Evadet media Aeneas incendia, tutam
    Expediens turba cum meliore viam.
Incedent nitidae per prata Parisica vaccae
    Et seges in molli luxuriabit humo.
Agricolae raro pulsatus Sequana remo
    Per tacitos leni flumine serpet agros.
Atque aliquis repetens prisci vestigia saecli:
    »Vindicis hic, dicet, sunt monumenta Dei.
»Hic fuit urbs toties miseri fax improba mundi.
    »Constitit heu pretio non meliore quies!"

At bonus Henrici virtutum et nominis haeres
    (Crescite Borboniae lilia parva domus!)
Constituet populo leges et iura volenti,
    Qua placidus Rhodani flumina iungit Arar.
Hic generi humano Francos placabit. Ahenis
    Claudetur belli ianua dura seris.
Interea celeres protrudite tempora Lunae!
    Magnus erit cunctis gentibus ille dies.
Quo tibi, France levis, mites turbare Batavos,
    Quo tibi Nassavium perdere velle genus?
Scilicet aeterno ut noceas securior hosti,
    Atque auctum nostra te tremat Anglus ope?
Imprudens Anglo duplici facis utile et ingens
    Officium. Huic maior quam tibi praeda sumus.
Non amat Hollando pendentia carbasa malo.
    Pallori est triplex invidiaeque color.
Admonuit nuper veterum Zoutmannus avorum,
    Syrtes piscosis qua feriuntur aquis.
Ecce sedent tristes albenti in rupe Catones,
    Prospiciunt oculis et freta lata suis.
Carthago Hannonis cedat Barcaene furori,
    Civili et discors saeviat ense manus.
Saeviit. Adspicite invisis quae tendit ab oris,
    Quantum thesauri parvula cymba vehit?
Nulla coloratis classis tam dives ab Indis,
    Appulit in portus, Anglia dira, tuos.
Hollandi hac vehitur populi fortuna, vetusque
    Libertas, exsul nam Gulielmus inest.
Natio quae sortem non deploravit iniquam,
    Incubuit patriae quae diuturna meae?
Exspoliata bonis, Francorum serva latronum,
    Abiecta, et nomen perdidit ipsa suum.

Quis credat? tacito gavisa Britannia corde,
Quae rapere heu! Franci non potuere, rapit.
Hoc scelus attoniti viderunt Afer et Indus.
Litora viderunt hoc America scelus.
Non navis super una fuit, quae nuntia cladis
Ad patrios posset vela referre Lares.
Nempe Deo sic visum. Et non queror ultima nobis
Tempora tam duras imposuisse vices.
Quidquid erat, totum fateor meruisse, nec hosti
Fortunae invideo facta superba suae.
Nondum iter Europam Nemesis perfecit in omnem:
Clauda quidem, aequoreas non tamen horret aquas.
Insula non tuta est. Non prosunt mille carinae.
Napoleon quo non venerit, illa venit.
At nos errorum delicta piavimus. Ipsa
Facta malis tandem sunt medicina mala.
Haec cives prisci revocatis artibus aevi
Magnorum oblitos admonuere patrum.
Eruimus Franci vestigia foeda veneni:
Sensimus et Britonem sic, uti notus erat.
Mentibus inscriptum »*Deus et Concordia*" nostris
Delebunt longo saecula nulla die.
Spirantes cerne ut venti felicibus alis
Foederis aeterni vincula certa ferant!
Nassavius notis princeps allabitur oris,
Ante pater fugiens e quibus exsul abit.
Dignum stirpe genus, rebus spectatus iniquis,
Communis rediit quo redeunte salus.
Cui populi decoravit amor diademate crines,
Inque manus fidas regia sceptra dedit.
Hic vir, hic es, quando Europam pervaserit omnem
Insidians animis perniciosa lues:

Qui labe intactam possis ostendere gentem,
Et gentis felix vivere amore tuae.
Credite, quos falsae recto de tramite voces
In tam praecipites elicuere vias:
Libertas sub rege pio laetissima floret.
Vos ludunt variis nomen et umbra dolis.
Quam petitis res est sine corpore. Dira tyrannis,
Vilis avarities, ambitioque latent.
Decepti, Hollandas oculos convertite in oras,
Qua silva Haganum reddit opaca nemus.
In turba incedit civis qui simplice cultu,
Est rex, Nassaviis conspiciendus avis.
Non latus armato cingit custode, nec altis
Munita fossis abdit in arce caput.
Ut patrem in mediis gaudentem vivere natis,
Hollanda sequitur cum pietate fides.
Attalici poterat prodire e limine tecti,
Inque auro et gemmis luxuriare suis.
Solari at miseros, nostrae vigilare saluti,
Hoc auro, hoc gemmis pulchrius esse putat.
Dilectum multos caput o servetur in annos!
Vive diu nobis, rex bone, vive diu!
Sic veniente die, sic decedente, precamur.
Hoc taciti exoptant, hoc sibi quisque palam.
Verbaque adulandi non exprimit illa libido,
Sed de sincero pectore natus amor.
Qui populum et regem sic iungit, ut omnibus una
Vivere pro patria mens sit, et una mori.
Pugnandi haud veniat Belgis vesana libido,
Hollandosque satis sit didicisse semel.
Bella manus poscunt, non verba tumentia. Ad auram
Cor micat ignavis, lingua virile sonat.

Formidant rabulae strictos muliebriter enses,
    Multus et inflato pallor in ore sedet.
Eiice in extremas opprobria Belgica terras,
    Vos mala tam foedo de capite orta premunt.
Sic, dico Leopolde tibi, sic, improbe quamvis,
    Non tamen ex omni parte pudendus eris.
Improbe! nam latebris potuisti praedo relictis,
    Corripere ignota non tua sceptra manu.
Abiice, si sapias, humeris et inertibus ingens
    Excute, quo te fraus Angla gravavit, onus.
Ludibrium debes ipsis quoque flebile Belgis,
    Et nemo est qui te, sicut oportet, amat.
Brouckero levibus nec crede sodalibus. Una est
    Mens cunctis, sanctam fallere nata fidem.
Fortunae inconstans non est tua turba. Sequentur,
    Transferet instabiles quo Dea coeca gradus.
Redde aequas populo leges et iura, facultas
    Libera sit, tuto quae velit ore loqui.
Vox erit una »*abeat notas Leopoldus in oras.*
    »*Tu*, *Gulielme pater*, vox erit una, *redi.*"
Solus et hic poterit rebus succurrere fractis.
    Stat cum Nassavia Belgica stirpe salus.
Non domino haec famulis cervicibus ivit Ibero,
    Imperium Austriaci non toleravit heri.
Non Robepetraeos supplex venerata tyrannos,
    Napoleontei est intemerata iugi.
Libera dedecoris, maculosi criminis expers,
    Ignoscens aliis multa, sibique parum.
Principibus descendat in altam iniuria mentem;
    Nassavii durat principis ira brevis.
Non dolet ereptam regni sine vindice partem,
    Antiqua est illi patria magna satis.

Sed mala in immeritos dolet exitialia Belgas
Paucorum effudit quae scelerata cohors.
At vos ingenui Belgae durate. Tenebras
Iam lux excipiet, nec male semper erit.
Foedere quod certo Deus et natura ligavit,
Humanae haud poterunt dissoluisse manus.
Ne dubita miseram, Leopolde, relinquere terram:
Indignum Belgas, quo premis, aufer onus.
Nil nisi triste vident oculi. Circumspice. Clamant
Omnia, quum taceant »*Rex puerilis, abi!*"
Quin degens roseis, ut quondam, in odoribus aevum,
Otia lascivae plena quietis agis?
Caesariem compone, venustos indue cultus,
Et canta Glyceris carmina grata tuis.
In thalamo lentus, fuge dux Pari, spicula et hastas,
Praesidio Cypriae tutus, ut ante, Deae.
Quid facis? Heu, populum pompa deludis inani,
Distribuens larga bellica signa manu!
Adspice militiae veteres, fortissime! rident.
Et tacitus multis inficit ora rubor.
At cupis acceptam virtute exstinguere labem!
Unica plus pretii gutta cruoris habet.
Proripe te, dux magne, tuosque revise Britannos,
Discessu tolles dedecus omne tuo.
Crimina Idumeae veluti communia gentis
Abstulit emissus per loca sola caper.
Te pater haud genuit, corpus sine pectore, laudi.
Bella gerant alii, rex Leopoldus amet.
Hoc facient, sua quos virtus et causa volentes,
Vox patriae et cari regis, ad arma vocat.
Vox sacra trans Vahalim audita est Mosamque. Volavit
Alta super Flevi, fulminis instar, aquas.

Maiores volvunt et Rhenus et Isala fluctus:
Exsurgunt tumidis Hunsus et Aha vadis.
Arma viri clamant, iuvenes arma, arma, frequentant:
Millia, quot nunquam patria vidit, eunt.
Non genus, aut proavi, non divitis otia vitae,
Non retinent carae dulcia vincla domus.
Ipsae etiam matres, matres lacrymabile rident,
Armaque dant natis dura tremente manu.
Dilectum trepidans virgo producit amicum,
Ingenuo teneras tincta rubore genas.
Exsuperat cunctos patriae iam nomen amores:
Hoc uno nullum est dulcius aut melius.
Quis numerat lectas in publica commoda gazas?
Adspicit undantes lux nova semper opes.
Porrigitur nummus seros quaesitus in usus.
Largitur viduae prodiga dextra stipem.
Stulte quid huic populo opponis, Leopolde? Cohortes,
Conscia quas sceleris mens agit aegra sui.
At noli Hollandae catulos vexare leaenae,
Non profecturis parcere disce minis.
Magnanimo tandem cedit patientia regi:
Lentaque vindictam cogitat ira. Cave.
Sol, qui purpureo lucem vehis, auree, curru,
Hunc radio illustra splendidiore diem!
Surgere magnarum vises spectacula rerum.
Hollandum Belgas grande probabit opus.
Iam micat armorum fulgur. Stant pulvere campi.
Mistaque cum lituis tympana pulsa sonant.
Iam pulchrae devota incedunt agmina morti,
Dum patriam et regem voce fremente canunt.
Ac veluti exiguus quondam, nunc imbribus auctus,
De monte in trepidos volvitur amnis agros:

Et sese irritans vasto ruit omnia cursu,
Diluvie et vires auget eunte suas:
Haud aliter properant urbanae robora pubis,
Haud aliter se gens mascula ruris agit.
Sic iuvenes laeti, doctae sacrata Minervae
Pectora, quo tollit mens generosa, volant.
Mirantur duris qui consenuere sub armis.
»En ducibus stimulus militibusque duplex."
Quid vobis animi, Belgae, est? a finibus hostes
Pellite, quos sprevit Martia lingua prius.
Tempus adest, toties votis precibusque petitum,
Mergite in obscoenos corpora tarda lacus.
Ridete. Hollandi sunt, quos spectatis, inertes,
Auri avida, agrestis turba, virique parum.
Ah! tantum haud duras victis imponite leges:
Non vos esse feros gratia Franca sinit.
Flandria ab antiquis purgetur tota colonis,
Hollandi excutiat vincula Mosa iugi.
Integra Belgarum exornet Brabantia regnum,
Ferreus Albana cedat ab arce senex.
Nam cur Antwerpae tam barbarus imminet urbi,
Accipiter trepidas ceu ferus urguet aves?
Mittat in Eoas, abiecto compede, Scaldis,
Mittat in Hesperias Belgica vela plagas.
Scaldi, decus fluviorum ingens, canet Amstela. *Frater*
Submisso *Thamesis* vertice Rotta canet.
Pluraque, si fas est, constanti mente feremus.
Sic nos cum Franco candidus Anglus amet.
Unum oro, regem nobis ne avellite nostrum:
Linquite et antiqui iugera pauca soli.
Sit modus egregiae laudi Mareoticus agger,
Victorem hic sistant agmina vestra gradum.

Murmure iam resonant explosa tonitrua rauco,
  Stridenti circum mors volat atra sono.
Vulnera sunt. Multoque fluit de corpore sanguis.
  Deiecti mordent ore tremente solum.
Nulla quies. Simul uno agitatur turbine moles,
  Quaque venit, saeva cum gravitate venit.
Aetheriis sic fertur ab Alpibus, obvia quaeque
  Prosternens, gelidae dira ruina nivis.
Quid facitis, Belgae? Erratis regione viarum,
  Adversum Hollando tramite ducit iter.
Quid facitis? Non hac petitur Mareoticus agger.
  Consilii celer est, non fuga, credo, metus.
Insidias nobis et belli furta paratis,
  Cauta suo virtus Dainia statque loco.
Scilicet hic etiam, tergo non pectore fortis,
  Corripuit volucres cum duce turba pedes.
Utque leo cervos pecora inter inertia saevit,
  Ut lupus imbelles Martius inter oves:
Sic Belgae trepidant abiéctis turpiter armis,
  Terrore offuso nec meminere sui.
Sed meminit, quid enim? Gulielmi regia proles,
  Per venas sanguis Nassaviusque calet.
Esse quidem optaret meliore animosus in hoste,
  Et manibus Francis conseruisse manus.
Napoleonteae qualem videre phalanges
  Vadere in Hispanis per media arma iugis.
Aut validum paucis retinere iuvantibus agmen,
  Deiectus nullo de statione metu.
Atque emere aeternos mercede cruoris honores,
  Hic, ubi per quatuor brachia secta via est.
Sed similem pariet victoria nulla triumphum,
  Europae hic agitur causa Deique simul.

Exemplum hinc crescens, tacito velut arbor in aevo,
    Radices fibrae non pereuntis aget.
Nunc Lernae Herculeo perdet combusta lacerto
    Bellua postremum sanguinolenta caput.
Surget in his campis formosi aurora diei,
    Felicesque oleas laurus odora feret.
Ne tibi, Mauritii bellum meditantis imago,
    Dulce decus patriae, dux Gulielme, tuae!
Ne tibi sit vili victoria vilis in hoste,
    Nostra semel possit tarda quid ira doce.
Civibus una alto vindicta e pectore spirat,
    Nec se iusto ardens flamma dolore capit.
Umbra ferox circum in coelo Speykana vagatur,
    Heroi inferias, perfide Belga, dabis!
Non prosunt nemorum latebrae, non oppida muris
    Cincta, nec excelso stant loca tuta situ.
Spargite letiferos aeratis faucibus ignes:
    Omnia virtuti, quo velit ire, patent.
Nulla mora. En laesi vindex Gulielmus honoris,
    En scelerum toties fraude petitus, adest.
Cygneae invicto fluitant in vertice plumae.
    Signa quis est cunctis impetus illa sequi!
Emicat impavidae robur iuvenile cohortis,
    Ante annos animis et pietate viri.
Hos decoris memores, memores virtutis avitae,
    Docta suo gaudet Leida fovere sinu.
O si nunc etiam, Werfi, mortalia curas,
    Si cara, ut quondam, patria, Dousa, tibi est:
O Gulielmei, nomen venerabile, manes,
    Respicite. Hos fructus vestra Minerva tulit!
Felices magnorum umbrae gaudete parentum,
    Gens iterum vestro sanguine digna sumus.

Rursus adest animis antiquus in omnibus ardor,
Pro patria nulli cedere, dulce mori.
Iam trepidas aperit turbata Lovania portas:
Et celeres tentat rex Leopoldus equos.
Vicino Bruxella stupet malesana Batavo:
Una in victoris spes bonitate manet.
Flent Belgae ut pueri, dictu miserabile, inulti,
Territa de mento barba repente cadit.
Et Iacobinos lacero de crine galeros,
Corpore coeruleas abiiciuntque stolas.
Mittite femineos, muliebria monstra, ululatus,
Nec saevo tonsas ungue notate genas.
Formosi Alcidae, lacrymas abstergite moestas,
Audit, et auxilio Francia tota venit!
Illa quidem, ut semper, contemtrix iuris et aequi,
Atque sibi constans in levitate sua.
Sed magni reges facinus tam turpe probabunt:
»*Hollande*, et poterunt dicere, *victor abi!*"
O patriae vox pulchra meae! O magna triumphi
Gloria, quam penna Fama sonante vehet!
Abiectum cives generosi linquite Belgam,
Tam pompa illustri vos comitante domum.
Virtutem admirans et in hoste, sequetur ovantem
Francia, ceu manibus terga revincta, ducem.
Salvete o reduces, iterum salvete Batavi,
Et vos Nassavii sanguinis acre genus!
Nulla satis vestras referent praeconia laudes,
Deficitur iustis nostra Camoena sonis.
Maevius has Baviusque, Latini opprobria Pindi,
Barbarico, nam non est pudor, ore terent.
Aure avida bibet hos strepitus ignobile vulgus:
Religio in tantum me vetat ire decus.

Sufficit et vobis merces pulcherrima virtus:
Inque suo ornatu simplice pura nitet.
Iam tandem excusso sapiens Europa veterno
Admonita, incipiet consulere ipsa sibi.
Aurea securae pax libertatis in umbra,
E gremio omnigenas divite fundet opes.
Iam felix fidei et magnarum Hollandia rerum
Intacto florens tollet honore caput.
Quod factum auctores animo fecere scelesto,
Sed vertit nobis in meliora Deus.
Sic poterit mala tanta ipsis ignoscere Belgis,
Utque olim, fidas tendere amica manus.
Lethaeis sed quidquid aquis bona tradere possint
Pectora, vos nullus eximet inde dies:
Vos animis pietas gratis inscripsit. Et haerent
Indelebilibus nomina vestra notis:
Invicti iuvenes, quos pulchro occumbere leto
Pro patria, laudis fervidus egit amor!
Non lacrymis sequimur, nec moesto funera fletu,
Laetamur vobis sic licuisse mori.
Hollandas quoties messor resecabit aristas,
Per cunctas fient annua sacra domos.
Tum pater et circum nati, cum coniuge cara,
Reddita post magno vota precesque Deo,
Seposito in cultu, multarum in flore rosarum,
Instituet laetas, laetus et ipse, dapes:
Heroumque, inter festivi munera Bacchi,
Et voce et cithara grandia facta canet.
Proeliaque in mensa monstrabit fortia natis,
Dum liquido ducit castra Batava mero:
»Hinc in bella ruit generosa mente iuventus,
»Hac Belgae turpi terga dedere fugae.

»Illic Behringa est. Hic Diesta. Hic plurima silva.
»Hac Hasseletum parte Thinaeque iacent.
»Collibus his quamquam munita Lovania, capta est.
»Huc via Bruxellam libera ab hoste patet.
Cerne mihi tenerae quam muta silentia turbae!
Qualis in attonito lumine flamma micat!
Haec etiam incendit iuvenilia pectora quondam,
Pro nostra quae nunc laude peremta iacent.
Haec animat totos mira dulcedine sensus:
Et me castra iuvant, hic quoque miles erit.
Ossa per et cineres peregrino tecta sepulcro,
Per vos, Hollandi, pectora certa, viri!
Ibimus adversis patria poscente periclis.
Nobile et exemplum nobile calcar erit.
Pignus in haec pateram functis libamus amicis:
De caeso in terram sic cruor hoste fluat.
Hanc ego, Falcoburge, tibi! Puerilibus annis
Iam socio mihi pectore care tuo!
Non alio pugnas duce lusimus, arma vibrantes
Lignea. Quam parvo milite laetus eras!
Hanc, Beeckmanne, tibi! dilectae gloria matris!
Pieridum et Martis signa animose sequi!
Te virtus tenero surgens velocior aevo,
Aurea sublimi misit in astra via.
Vos olim, illustres animae, pia turba sequemur,
Quoque modo iubeat, tempore quoque Deus.

Iam socio mihi) Adscripsit R. Lege *Iam mihi tum socio p. c. t.*

EGREGIO ADOLESCENTI

MATTHIAE DE VRIES,

HARLEMENSI,

HOOFTII FABULAM E PLAUTI AULULARIA IN PATRIUM SERMONEM CONVERSAM DENUO EDENTI.

MDCCCXLIII.

Quem iuvet, instabilis venetur gaudia vitae,
Et mutet incertos Lares;
Velivolum ad Thamesin nunc visat, et arva superbi
Rigata fluctu Sequanae;
Nunc Tiberin flavum et domini monumenta Quiritis,
Lymphasque amet Sebethidas;
Nunc ad pulchra Tagi, nunc Hebri ad pulchra fluenta
Fastidiosus avolet;
Parva sit huic, aegrae vitanti taedia mentis,
Europa, anhelet Indiam:
Non ita Neerlandus sese fugit: angulus illi
Haud patria est iucundior.
O patria, hos sensus quanta dulcedine mulces,
Olympus in terris sacer!
Tuque, o cara foci sedes, ubi prima steterunt
Infantiae incunabula!
Nulla tui immemorem capient oblivia; dextrae
Prius ipse erit suae immemor.

Hic fidam risu didicit cognoscere matrem,
Genu paterno hic insidens
Dimidiata loqui et voces imitantia lingua
Balbutiente nomina;
Tum moliri arces et ponere castra, tubasque
Inflare, regnum ludere,
Iungere curru hoedos, se aurigam ferre, voluptas
Reditura nullo tempore!
Interea patulae committere semina menti
Non desinunt piae manus;
Semina, quae flores gignant virtutis amoenos,
Iucunda fructuum omina.
Pulchra dies, primum qua recti conscia blando
Colore mens tinguit genas,
Atque ignota sinus percurrit flamma trementes,
Ceu rima nubes ignea!
Pulchra dies, rude Musarum quae pectus amore
Flagrare conspicit novo;
Qua Deus et patria incipiunt, verumque bonumque
Sancta esse cordi nomina!
Illa dies Genium laeto deducit Olympo,
Custos fidelis ad latus
Qui caput hinc niveis atque hinc circumstrepit alis,
Monstrans pedum vestigia,
Ne recto deflectat iter de tramite, raptus
Contagione saeculi.
O felix, Genio facilem qui praebeat aurem,
Ducique se volens sinat!
Quae procul huic vitae arridet felicis imago,
Quae spes futuri ostenditur!
Quae talem auroram excipiet formosa dies, quae
Diem sequetur vespera!

Quidquid agit, iuvenem placidae pax aurea mentis,
Parentum amor beat et Dei;
Quocunque incedit, laudes et vota bonorum
Gressus sequuntur omnium.
Non animum huic vexant tristis fastidia vitae,
Nec temporis queritur moram.
Sufficit ipse sibi, suus est; patriaque focoque
Nil dulcius Neerlandico:
Hic, ubi magnorum virtus surrexit avorum
Tacito vigens silentio;
Tum soli monstrata novo, stetit unica mundi
Stupentis admiratio.
Dicite felices animae, felicia prisci
Vos dicite aevi germina,
Quid dominos potuit fastus contundere, Ibera
Levare collis vincula?
Cur Thamesis trepidante revolvit ab aequore fluctus,
Fractisque pallet cornibus?
Aut arma infestae manui victricia Franco
Excussa Xerxi decidunt?
Nomen ad Hesperios Neerlandum et nomen Eoos
Cur spreta fertis natio?
Quid Musis Latio profugis splendentia templa
Pigra in palude condidit?
Hoc placidae pietas intra penetralia Vestae,
Laboris hoc patiens manus,
Hoc simplex vita in censu non paupere fecit,
Suisque mens dives bonis.
Tunc libertatem officiis populusque patresque
Iunxere vinclo amabili,
Et frontem ornabat sincera modestia, nec mos
Bonum videri, haud esse, erat.

Ah! fuimus Troes: semel insanivimus, arte
Capti Sinonum perfida.
Infaustas monstro fatali pandimus urbes.
Hinc omne pestilentiae,
Hinc scelerum seges: effugit, si quaerere velles,
Hollandia ex Hollandia.
Dî bene! Spes mansit: nec Iupiter omnia falsos
Iratus Argos transtulit.
In manibus spes illa tuis, generosa iuventus!
Pignus tuemini sacrum.
Ardua labentis defendite Pergama Troiae.
Labor supremus vos vocat.
Vos illa antiquae sedes pietatis, amara
Quae nunc cinis pietatis est,
Vos maiorum umbrae, moesto vos patria vultu,
Vos, alterum genus, adspicit.
Ite, agite, et totas pulchro in certamine vires
Exserite, vincite hoc decus!
Macti animis, quîs pulsat amor trepidantia corda
Tantam parare gloriam!
Vriesia in hac acie dudum stetit ardua virtus,
Stabitque semper Vriesia.
Fortunate pater, tali dignissime nato!
Quale hoc patri spectaculum!
Quale tibi! lacrymae dicent, non verba. Beatum,
Cui lacrymae sic effluant!

P. HOFMAN PEERLKAMP

ABRAHAMO VRIESIO

TAM VERO QUAM VETERI AMICO AMICUS.

Si quemquam, Vriesi, te, te, carissime Vriesi,
Pectoris extremum pignus amantis habe.

HILVERSUMI a. d. X Aug. MDCCCLVII.

SENEX.

Si maris Oceani cerno de litore campum,
Ut nunc a Zephyris permulsae leniter undae
Dulce repercussi ridentes lumine Phoebi,
Lambere eunt spuma laeves albente lapillos:
Nunc Eurique Notique corusco in fulmine et atro
Imbre ruit furor, atque excitum funditus aestum
Et laceras puppes vastis illidit arenis:
Si fluctus modo decedentes agmine certo,
Mox certo rursus redeuntes agmine specto:
Quam varius vultus salsarum apparet aquarum,
Quam nil perpetuum, et nulli fiducia formae!
Si adspicio patrium iucundi ruris agellum,
Parvus ubi veteres olim puer ante Penates
Reptabam, quantum est hodie mutatus ab isto!
Qua lolium et sterilis laete crescebat erica,
Lanigerique greges rimati gramina frustra
Per calidas umbram quaerebant frondis arenas,
Nunc sata luxuriant, nunc vacca perambulat arva,
Nunc silvae virides in amico foedere ramos
Consociant, lymphaeque ad murmura blanda loquacis
Respondent. Haec ipsa, haec denso tegmine fagus,
Quae me audit Latias extremo carmine Musas

Conantem Hollandis fugientes sistere in oris,
Pectora si pulchrae iuvenilia laudis amore
Inflammare queam; haec fagus, quo tempore primum
Nascebar, tenui de semine crevit, ab ore
Quod praetervolitans labsum ales forte reliquit.
Saepe mihi hoc puero mater narrare solebat,
Quae tenerum coluit fruticem omni sedula cura,
Haud secus ac, virga modo sospite sospes in ista,
Vita mea amissi repararet damna mariti.
Crescere cum virga natum pia femina vidit.
Virga arbor facta est: infans adolevit, et aetas
Attulerat veniens annos matura viriles,
Quum mea me genetrix senio confecta reliquit,
Decedens vultu mentem referente quietam.
Optabat placidum dormire sub arbore somnum,
Dum tuba coelestes divina cieret ad auras.
Dormit. Ego ad cineres sanctos atque ossa sepultae
Nunc sedeo, ipse senex, supremae in limine vitae.
Utque hedera haec fagum, sic me longaeva vetustas
Amplexu annorum minuit. Quot lustra super me
Quam rapido cursu, nunquam redeunte, volarunt!
Ut somnus diris mortalia corda figuris
Nunc angit, dubia nunc ludit imagine rerum,
Raro unam ostendunt simulacra fugacia formam,
Quam revocare iuvet: mea sic mihi somnia vitae
Pauca fuere, animi repeto quae mente lubentis.
Quum primum exsultans firmato poplite matrem
Passibus haud aequis per culta vireta sequebar,
Tunc felix, tunc dives eram. Meus hortulus, hircus
Iste meus, mea lora, mea ipsius ista flagella.
Pernicies tructis, setae mea linea equinae,
Aere armata recurvo, Hispana ab arundine pendens.

Maternusque timor, cum remis cymba duobus.
Hordea proiicere et plumatam accire cohortem,
Ductorumque animos cristasque lacessere; nidos
Scandere corvorum, atque ovo descendere rapto;
Nectere serta, et, quas e divite copia cornu
Effundebat opes, legere, o quae, quanta voluptas!
Iam nova quae gelidae portabant gaudia brumae,
Possem ubi ferratis glaciem crispare cothurnis,
Et vespertini traducere temporis horas,
Fortis ab insidiis oculos defendere somni!
Tum, lucente foco, genetrix me cara docebat,
Quis Deus, et, coelo quem demisisset ab alto,
Unica spes, ac vera salus mortalibus aegris.
Sanctorum divina legentis scripta virorum,
Quam placido monitu ingenium vocemque regebat!
Saepe canebamus Iessaei carmina vatis.
Nunc etiam tumulo materna videtur ab isto
Surgere vox: »Cervi sublimis anhelitus, instans
Turba canum, insperata fugae via, fervidus ardor
Fontis aquas gelidi clamans" mihi personat aures.
Ah! cur innocuae ver illud amabile vitae,
Tamque cito ex oculis tam pulchra effugit imago!
Nam quas, horresco repetens, labentibus annis,
Severunt curae proscisso in pectore spinas!
Vulnera quae sensi extremis saevire medullis!
Heu! quae spes, quae vota, tamen non improba, iamiam
Prensuras fugere manus! quae gaudia laeto
Iam praecepta animo, quae blandimenta quietis
Ostensae, celeres rapuere per aethera venti!
At patriae florens me solabatur imago:
Quaene arma in cives cives convertere vidit?
Excelsam vidit peregrina in litora stirpem

Confugere, et captis regnare in finibus hostem?
Ebria libertate, meris crateribus hausta,
Sanguineaeque insana agitata cupidine laudis,
Gens avida in mundi posuisse tropaea ruinis,
Dona sua apportans, improvida pectora cepit,
Atro mortiferi dona illita felle veneni.
Tandem defectos crudeli tabe Batavos
Ad solium fatalis heri stravere, tyranno
Ipsi inclinantes, ipsi, servilia colla.
His tandem divina malis clementia finem
Attulit: en patriis alter Gulielmus in oris,
Imperio fulgens qui splendidiore, superbos
Aequa lege animos Bruti frenaret et Appî,
Neerlandisque daret securae plena quietis
Otia, tranquillosque dies, sua si bona possent
Noscere, mentitis et claudere vocibus aures.
Ambitio sed dira, modesta in veste, renidens
Falsum oculis, Stygios aegre celantibus ignes,
Et scelerata sitis, quam non satiaverit auri
Quidquid adhuc rutilis California servat arenis,
Insidiosa canunt modulamine carmina dulci,
Haud surdis: populo melius fore, dummodo vires
Sentiat ipse suas, pro libertate paratus
Libera verba loqui, et meliores poscere leges.
Talibus incautae terroribus externatae,
Haud secum in praesens possunt consistere mentes:
Sed, veluti saevis agitatae aquilonibus undae,
Huc illuc, qua turbo rapit, sine more feruntur.
O patria, o ingens magnorum gloria avorum,
Virtutum domus, Europae mirantis ocelle,
Improbitas quo te paucorum insana redegit!
En unquam assiduis misere iactata procellis

Nostra ratis tuto durabit in aequore cursu?
Audi, quo gemitu antennae, quo vela, rudentesque
Atque trabes clament! vix, crebro vulnere clavus
Saucius, attoniti dextrae rectoris inhaeret.
In portu quid erit, nisi, cunctis debilis armis,
Piratae spolium aut latroni truncus inulto?
Cui vultus tam lentus, ut ista videre patique
Possit, dum rigida astutus cervice tribunus
Per medias urbes populique perambulat ora,
Nassavio indignans fasces submittere sceptro,
Wittiadum simulans et Barneveldia fata
Nunquam se pulchra pro libertate vereri!
O si Letheae potata oblivia lymphae
Delerent saevos lacerato in corde timores!
Certe oculos averti, ut ne quid tale viderent,
Aut intus lacrymam dolor ipse voraret abactam.
Haganae turres, Gothicoque palatia ritu
Exstructa, et discursus iners, pannosa valete
Paupertas, gaudensque ornatu divite luxus.
Improba spes et vota hominum scelerata novorum,
Aemula corda, sub insigni trepidantia veste,
Ambitum Ucalegon rapiat ne invisus honorem,
Compositi ad nutum vultus atque ora potentem,
Elatae mentis, simulata modestia, livor
Callida mellitae spargens convicia linguae,
Concilia, indignum, nugis impleta sonoris,
Sancta fides abiecta aurae mercede popelli,
Haeredes generis clari et virtutis avitae
Despecti, dum se plebeia Pecunia sede
Iactat in augusta, censu sublimis iniquo,
Quid mihi vobiscum est? aut cur, si sub Lare parvo,
Inter dilecti taciturna silentia ruris,

Inter aves silvasque et pascua vivere possim,
Vivere amem mediis in tempestatibus urbis,
Contristans facie miserarum lumina rerum?
Non equus hic glebas detrectat scindere aratro,
Ad mulctra iniussae properant tento ubere vaccae,
Audit ovis pastorem. Hic nunquam terra recusat
Imperium, aut aequi fallit spem ingrata coloni.
Ecce iterum Omnipotens, pulsae post frigora brumae,
Agris arboribusque comas et gramina reddit,
Perque artus venasque recens diffusa seniles
Aura brevem aegrotanti animo spem verna reducit.
Extremae haec fortasse micans scintilla lucernae
In cinerem et fumum mox evanescet inanem,
Misceborque levis tumuli cum pulvere pulvis.
Sol quos nunc properat silvam celare sub istam,
Promere cras radios campo properabit ab illo.
Cum semel occiderit serae mihi vespera vitae,
Discutere huc atras veniet lux nulla tenebras?
Non ita, non. Ultra hunc tumulum sol eminus alter
Ostendit signa ignotae praenuntia lucis,
Quae magni exoriens completis mensibus anni,
In radiis auroque ibit per muta sepulcra
Seminibus vitam aeternam inspirare repostis;
Quam qualem in sanctis olim mirabimur oris!
Illic vera quies animum, illic perpetuum ver
Mulcebunt placidos tacita dulcedine sensus.
Quo mihi tendenti, Christo duce et auspice Christo,
Errantes trepidosque regat fiducia passus
Per spatia extremae leto vicina senectae!

E R R A T A.

p. 176, l. 4. turka — *lege* turba.
» 215, » 23. potentem — » potentum.
» » » 24. mentis — » mentes.







